D. JO. ANDREÆ DE ASTESATIS

BRIXIANI

BENEDICTINO-CASSINENSIS

EPISTOLA,

IN QUA

Annus decimus-ſeptimus ſupra octingenteſimum Bernardi Italiæ Regis emortualis oſtenditur;

ET ALIÆ

Lotharii Imperatoris, ac Ludovici junioris ejus filii à vulgatis noviter obſervatæ Epochæ exhibentur.

872

TYPOGRAPHUS LECTORI.

JAm Literatorum Reipublicæ notum eſt celeberrimum nomen D. Johannis Andreæ de Alteſatis, *Brixiani, Monachi Benedictino-Caſinenſis, qui publicæ luci donans Opuſculum* Evangeliſtæ Manhelmi de obſidione Brixiæ, *tot illud commentariis, atque adnotationibus exornavit, ut non modicam apud bonos omnes laudem, commendationemque retulerit; tum maximè ob artis criticæ peritiam, cujus ope obſcurorum temporum tenebras detergens, reſtituta Diplomatum ſerie, & Chronologiæ ratione, non modicam ſibi famam, Lectoribusque delectationem contulit, ac proventum. Nec minore eruditionis conatu aliud laborem aggreſſus eſt, cùm nonnulla objecit, typorum beneficio, Contra suo* Anonymo Auctori Diſſertationis Italiæ Medii Ævi, *quæ poſtea cùm reſponſis ejuſdem Anonymi recuſa fuere Mediolani anno* 1729. *Neque te ultra morare, Amice Lector, in plena enumeratione ſingulorum lucubrationum hujus Clariſſimi Patris mea in præſens intereſſe dijudico, cùm per ſe ipſæ pateant, ſintque tibi notiſſimæ; id unum ſupra certo ſcire deſidero, mihi fortè fortuna contigiſſe Epiſtolam quamdam ipſiuſmet* Patris de' Alteſatis, *qui, ſi ſemper aliàs, ibi quoque nihil ſinè examine, atque accurata inſpectione dimiſit, ut controverſiam inter Eruditos de Anno emortuali* Bernardi Italiæ Regis *quæſtionem, tandem communem ſolveret Hiſtoriæ beneficio; nonnulla pariter adjecit ad illuſtrandam Epocham* Lotharii Imp. ac Ludovici junioris *ejus filii argumenta validiſſima; quæ omnia, quamvis Epiſtolæ limites non excedant, nolim ſapiant gravitate rerum in ipſa diſcuſſarum, & Scriptorum coætaneorum ac recentiorum teſtimoniis ab Auctore productis. Cùm igitur publica luce dignam jure hanc merito cenſuerim, ne longius communem Amicorum expectationem, quibus ipſam communicaveram, diſtinerem, cavens, Auctore inſcio, edendam cenſui, diffidens tamen de Clariſſimi Patris modeſtia, ſi ſibi conſilium meum, ante executionem, pateſeciſſem. Accipe igitur, Amice Lector, quemadmodum pretioſioribus gemmis contingere ſolet, in munuſculo magnum eruditionis pretium, mecumque lætare, quòd has Epiſtolæ Corollarium non injucundum addere poſſis rebus antea diſcuſſis in adnotatis ad Diſſertationem Italiæ Medii Ævi, quam tanto plauſu jam excepiſti, atque tibi in dies meliora parantem, ama. Vale.*

ERUDITISSIMO, AC ORNATISSIMO VIRO
DOMINO, ET AMICO NOSTRO

P. D. LAURENTIO DE GEORGIIS
PAPIENSI,

In Benedictino-Ciſtercienſium Ambroſiano Archi-Cœnobio, Sac. Theologiæ Lectori, ac ejuſdem perantiquo Tabulario Præfecto, Antiquitatis Scrutatori ſtudioſiſſimo

D. JO. ANDREAS DE ASTESATIS
Brixianus Benedictino-Caſinenſis

S. P. D.

Honeſtiſſimæ petitioni Tuæ, Domine, ac Amice Ornatiſſime, dum pro viribus facere ſatis conamur, pares primum Tibi grates agere vix poſſumus, referre nequaquam, quod noſtras, quæcunque demum eæ ſint, meditationes habere flocci haudquaquam videare. Hoc enim majus quid eſt, quam ut conveniat verbis gratias rependere. Requiris humaniter, quod moris eſt Tui, tum de quibuſdam Ludovici II. olim Imperatoris Epochis, tum vero ecquid tandem de anno mortis Bernardi Italiæ quondam Regis ſerio nos arbitremur. Huic amoris erga nos Tui ſignificationi ea, qua par eſt, celeritate reſponſuri, decrevimus huc transferre, quæ antehac in opus quoddam noſtrum adhuc non abſolutum, primo ferme calamo, atque in rem ipſam (neque enim limandis ad ſermonis proprie-

a 2 tatem

tatem & elegantiam verbis, quod nec ſane poſſemus, otium ſupererat) unice intenti ſatis ſuditer congeſſeramus. Quod operis ea mente fuciat a nobis inſtitutum, ut Romanorum Pontificum, Cæſarum, & reliquorum Italiæ, & Franciæ Regum a ſeculi VII. circiter exordiis ad uſque finem XII ex illorum epiſtolis diplomaticiſque monumentis accurate itinera perſequentes, inde aliquot etiamnum latitantia inluſtrandæ eorum Chronologiæ poſſemus evolvere.

Imo vero id eo libentius præſtare aggrediemur, quod opus illud noſtrum, quamvis favente Deo, præſcriptos ad terminos feliciter á nobis duceretur (jam enim annus, ut ſcis, excurrit, quo aliam ſub calamo opellam, ne in Alexandri Pontificis III. proſequendo itinere pes ruat in præceps, habemus) bombycis tamen inſtar ſuiſmet ſibi ipſius conſtrueret ſepulcrum. Quum enim ad molem haud mediocrem vel incompletum excreverit, cum propter ineditas membranas quamplures variis e Tabulariis depromptas, tum propter characterum ſpecimen, ac præcipue ſigillorum delineationem, ut eruditi quotquot collatione cum numiſmatia habita genuina inde ab apocryphis ſecernere valerent; ingentis eapropter diſpendii intuitu de opere illo, quod publicæ aliquando notitiæ futurum ſit, jam conclamatum eſſe arbitramur.

Neque dicas, velimus, nos ab his omnibus in opere producendis poſſe abſtinere: etenim cum a quibuſdam, quæ ex autographis in aurea immortaliſque nominis, Clariſſimis Mediolanenſibus Palatinis Sociis curantibus, Muratoriana Collectione prolatis deducta ſunt, nos aliorum ope monumentorum, quæ ſigillo itidem muniuntur, diſſentiamus, operæ ſane pretium eſt noſtra etiam Lectorum oculis exhibere, ut nemo in illorum ſinceritatem excipere unquam poſſit, vel ſuſpicari.

Accedit, in januis prope, quod & avidius exoptamus,

Italiæ

Italiæ Sigonii Regnum a Doctiſſimo Clariſſimoque Viro Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto Joſeph-Antonio Saxio communi Amico noſtro notis illuſtratum adeſſe, qui, ut eſt ſumma vir doctrina & eruditione ſolida, lynceis oculis luxata quæque detexit compoſuitque: quod quum a nobis etiam, pro modulo tamen noſtro, ut feſſis Lectoribus aliquantum ſolatio eſſemus, non uno fretis monumento in Sigonium ipſum, Eminentiſs. Baronium, Pagium eruditiſſimum, aliosque hujus generis Viros identidem, haud tamen immodeſte, animadvertentibus præſtitum jam eſſet, icciroo ne aliquot a tanto Viro præoccupata videremur repetere, integrum ipſum opus vel hac de cauſſa oblivioni cenſemus eſſe donandum.

Hinc noſtro Te calamo, ſi aliquantulo pro re nata excurret, amicum futurum eſſe ſperamus: „ error enim „ ſunt Magni Pontificis Innocentii verba „ cui non reſiſti„ tur *approbatur*; & veritas cum minime defenſatur, *op„ primitur* „: quod profecto ut effugiamus, ſi palam eloqui non licet, aut decet, Tu ad noſtram tuendam cauſſam, quum opus erit, poteris verax teſtis inſurgere. Neque propterea credas nos ſtultas opiniones admodum ſcrutari, quod ſtultum fortaſſis eſſe inquiebat Ariſtoteles. (1) hoc enim idcirco exequimur, ne, quæ a nobis fuerant olim fuſe prolixeque conſcripta, nimium in præſentia contraherentur: a quo ſane vel eo magis cavendum duximus, quoniam nonnulla obiter occurrunt, levia illa quidem, verum ad hoc diei, quod ſciamus, a ſcriptoribus miſſa & haud obſervata; quæ libentiſſime ſtatuimus communicare tecum, ut ſingulari eruditione tua perſcruteris ea profundius, &, ſi res poſtulaverit, etiam litura caſtiges.

Ergo jam ad petitiones Tuas: qua de re pro temporum ordine ab anno Bernardi Regis obitus initia ducentes

(1) lib. 3. cap. 3. de part. animal.

tes, in ipſo limine fatemur ingenue (ut veritati, quod eſt decentiſſimum, aperte litemus) a communi Annaliſtarum & Scriptorum ſententia noſmet ultro recedere. Quum enim Annaliſtæ, Lambecciani ſcilicet, Bertinianus, Cæſareus, ſicuti & Eginhardus, Hermannus-Contractus, atque recentiores Sigonius, Baronius, Pagius, & noviſſime inclyti Mediolanenſes Socii Palatini (2) Bernardi obitum ad Æræ vulgaris annum DCCCXVIII. adſcribant, nos contra ſuperiori anno DCCCXVII. firmiter & inconcuſſe cenſemus aſſigendum.

Ne autem impudentiæ nos arguas, in teſtem omni exceptione majorem, quod clareſcet inferius, producimus tibi Epigraphem illam inſignem, quam in lapide penes perantiquam tuam Ambroſianam Baſilicam, tribus circiter ab hinc annis, dum ab Auguſta-Taurinorum Brixiam rediremus, nobis per ſolas id temporis epiſtolas tibi notis, ea, qua polles, humanitate viſendam obieciſti. Porroepigraphes iſthæc nos certos reddit Bernardum poſt regnum annorum quatuor, & menſium quinque, XV. Kal Maji, ſeu XVII. Aprilis die, Indictione, non XI, ut eſt apud Sigonium, Baronium, & Pagium ipſum, ſed, quemadmodum optime Palatini Socii reſtituerunt, *decima* deceſſiſſe. Hos characteres chronicos invicem ſi copulaverimus, annum Chriſti non DCCCXVIII ſed ſuperiorem apertiſſime dabunt. Quos tamen antequam ad trutinam vocemus, Ludovicum ipſum Pium Bernardi Patruum in Capitularibus anni DCCCXVII. apud Baluzium, tameſi haudquaquam ſis hoſpes, hæc audire loquentem te minime pigeat:
» Regnum vero Italiæ », inquit, » eo modo prædicto
» filio noſtro » (Lothario ſcilicet) », ſi Deus voluerit, ut
» ſucceſſor noſter exiſtat, per omnia ſubiectum ſit, ſicut
» & Patri noſtro fuit, *& nobis* Deo volente *præſenti tempo-*
» *re ſubiectum manet*. » Hæc Ludovicus.

Supra-

(2) Rer. Ital. Scrip. t. 2. ad Paſchal. Bull. col. 220. (V) not. (9)

Supralaudati Scriptores & Annaliſtæ perduellem (ſive jure ſive injuria, modo non inquirimus, Bernardum jure ſuo ſpoliatum appellant: illud unum ſubdimus ex Regione, apud tuum doctiſſimum Puricellum (3) dolo capite plexum eſſe) perduellem, inquam, Bernardum nonniſi anno Chriſti DCCCXVIII. fuiſſe ſcribunt. Meditare quæſo, an vivo Bernardo legitimo Italiæ Rege a Carolo Avo ſolemniter nuncupato, ac Pippino, teſte eodem Reginone (4), Bernardi filio, ſcite prudenterque in Regni procerum conventu ſummus Princeps Ludovicus hæc eloqui potuiſſet, aut debuiſſet? Riſum ſane non modo, ſed & ſtomachum, quin etiam juſtam juridicamque in ſe ac Lotharium filium, invidiam commoviſſet. Papienſis vero Civis tui opinionem, qua in Antipologia (5) adverſus noſtram Diplomatum San-julianorum apologiam arbitratus eſt ea Capitularium verba prolata fuiſſe a Ludovico vacationis eventu, *in evento de vacanza*, præ ſola in Civem tuum affectione amplecti, te velle, quum ſis religioſus adeo veritatis amator, iniquum prorſus eſſet cogitare. Sed ad rem ipſam propius accedamus, ut, ea veluti acu tacta, longe a nobis impudentiæ notam amandemus.

Principio non unam ſed plures Bernardi Epochas partiri debere, ac diligenter conſiderari monemus. Primam ab octava Julii die anni DCCCX. Pippini Patris emortuali ducimus eſſe revocandam; a qua tamen vel unum Bernardi monumentum ad noſtram ætatem tranſmiſſum adhuc vidiſſe non contigit: eſtque manifeſtum omnino Bernardi Regni annos exinde numerandos non eſſe; octo enim, vel ſi mavis, ſeptem annis regnaſſet, quorum neutrum componi quit cum ſincero luculentæ prælatæ Epigraphes teſtimonio.

Exor-

(3) col. 40. Collect. Græv.
(4) ap. Ant. Pag. Crit. Baron. ad ann. 817.
(5) §. 22. & ſeqq. pagg. 253. &c.

Exordium ſumit altera ab anno Chriſti DCCCXII. & quidem, ut inferius perſpicuum fiet, octavam inter ac decimam-octavam Novembris diem; tum ſcilicet quum infelix hic Princeps ſub Valæ tutela ab Avo Carolo fuit in Italiam miſſus: *Imperator* enim, quod Bertinianus docet (6) *generali conventu Aquis ſolemniter habito Bernardum filium Pippini nepotem ſuum in Italiam miſit*.

Sane ab iſthac Epocha omnia ferme, quæ luſtrare datum eſt, Bernardi temporibus conſcripta privata documenta, publicorum enim ſors nobis provida nequaquam fuit, fas eſt deducantur. Quis enim ignoret Bernardi monumenta pro temporum illorum conſuetudine debuiſſe ab Italis diſtingui ab ejus in Italiam deſignatione vel adventu.

Antequam tamen ad reliqua pergimus, liceat hic nobis privata quædam documenta hanc eandem Epocham reſpicientia, quod cuilibet ſatis obvia non ſint, in medium proferre. In Farfenſis Cœnobii Regeſto (diſtingue Regeſtum a Chronico, hoc in Coll. Rer. Ital. t. 2. p. 2. editum ab eo quidem exſcerptum eſt, at illud non evulgatum) minime pauca exiſtunt, in quibus anni Regni tum Ludovici Pii, tum Bernardi ex Fratre nepotis memorantur. Sic num. CCXXVIII. ut jam tandem aliquot adducere incipiamus, incerta Martii die, Indictione VII. anno Chriſti 814. respondente, Ludovici annus primus & Bernardi II. enuntiatur: ex quo pronum tibi ſit colligere annum Ludovici primum a ſui Patris obitu, vigeſima nimirum octava die anni 814. capere initium; at vero Bernardi annos a duodecimo ſupra octingenteſimum anno computari. Num. CCXXVII. die XVIII. Maji indict. VII. anno I. & II. Num. CCXXXVIII. die XXIII. Junii, Indict. VIIII. (quæ unus eſt e characteribus anni 816.) anno III. & IIII. Num.

(6) ad hunc annum Rer. Ital. Script. t. 2.

Num. CCIL die XII Martii, Indict X (anno ſcilicet 817.) anno .III & V. Hi autem anni omnes Ludovici reſpectu ab anno Chriſti 814., ſed relate ad Bernardum ab anno 812. ſunt inchoandi. Hiſce illud etiam addamus, quod num. CCXXX. refertur, datum die VIII Novembris, Indictione itidem VIII. (quæ annum Chriſti ſignat 814.) anno I & II ex quo certi omnino ſimus ſecundum Bernardi annum octava Novembris die non adhuc effluxiſſe.

Inter hæc, ut nihil prætereamus, aliquot etiam documenta inſpiciuntur, in quibus anni Ludovici ab anno Chriſti 813. debent numerari, quando videlicet in Conventu Aquiſgrani celebrato, cujus Bertinianus Annaliſta, & Hermannus meminere, Carolus Ludovicum filium ſibi Imperii conſortem adſcivit, & Bernardum nepotem Regem nuncupavit Italiæ. Quonam vero potiſſimum menſe Conventus iſte fuerit agitatus, non una eſt opinio Chronologorum: Auguſti menſe conſignat Annaliſta Cæſareus; at vero Septembri Chronographus Moiſſiacenſis, poſtremo Sigonius, & ex eo deinceps Pagius, ad Novembris menſem protraxere: illud modo tibi ratum ſit, quemadmodum hinc nova Epocha Ludovico aſſurgit; ita & Bernardo Regi tertiam exoriri.

Hic vero miraberis minime, ſi quartam, quam ab anno 814. auſpicatus eſt Bernardus Epocham ex ſua in Italiæ Regem confirmatione a Patruo Ludovico palam dicta publiceque, vix uno verbulo dignati ſumus attingere; hæc enim parum, imo nec parum quidem rei noſtræ indagandæ conducit.

Ab anno itaque Chriſti 813. Ludovici, a ſuperiori vero 812. Bernardi anni conſtantiſſime numerantur in monumentis ſub num. CCXCVI incerta die Decembris, Indictione X. (Chriſti 816.) anno IV. & V. num. CCLIII. VII. Decembris die, Indictione X. anno IV. & V. & demum num. CCLII. die XVII. Novembris, Indict. X. an-

b no

no ibidem IV & V. Horum poſtremum documentum, in quo XVIII. menſis Novembris die annus V. enuntiatur, ſi cum illo, quod ex num. CCXXX. retulimus, conferatur, in quo octava ejuſdem Novembris die annus Bernardi ſecundus adhuc producitur; octavam inter & XVIII. Novembris diem hujuſce Bernardi Epochæ initia figenda fore liquido colligetur.

Hæc tibi privatis in loculis abdita monumenta, quod in iis nitidior annorum Bernardi calculus eluceat, produximus. Verum ne forraſſis exiſtimes, nos quemadmodum privatis abundamus, ita vulgatis editiſque deficere, pauca hæc, quæ juris publici jam facta ſunt, placuit omnino ſubtexere. Apud Ughell. (7) Veronenſ. Epiſcopi leges: *In nomine &c. Regnante Domno Carolo in Italia pietatis ejus XLI. & Bernardo glorioſo Rege I. ſub die XV. Kal. Octobris, Indict. VI. Rataldus &c.* Sextam hanc Indictionem advertit Adnotator in VIII. vel ſaltem VII. corrigendam eſſe. Sed cur ſeptimam expreſſe non elegerit, nullus video; quum enim VIII. adoptari minime poſſit, propterea quod annum deſignet 814, cujus menſe Januario jam Carolus obierat; reliquum erat profecto, ut ſeptima reſtitueretur, quæ Septembri menſe anno Chriſti 813. reſpondet, quo & adhuc eſt Bernardi primus, & ſimul Caroli XL., qui omnes anni ſummam in unam redacti, uti mos erat aliquibus eorum temporum Notariis, conficiunt annum Caroli XLI. Hinc in monumento illo apud eumdem ibidem col. 707. ſub iiſdem concepto characteribus, ſola menſis Anomalia, VIII. nempe Kal. Julias, Indictio VI. quæ ibi exprimitur, contra VII. ab Adnotatore perperam intruſam, ex ſupradictis eſt retinenda.

Hiſce accenſeri etiam poteſt documentum illud apud Ma-

(7) Ital. Sac. t. 5. col. 709. Edit. Venet.

Digitized by Google

Mabillon. (8) & Rer Ital. Script. (9) in quo hi characteres Chronici leguntur: *Anno Dominorum noſtrorum Caroli & Bernardi Regum XL. & V. menſe Februarii, Indict. VII.* quo ſane tempore quamvis Carolus jam vita exceſſiſſet, nihilo tamen minus, ut ibi præclariſs Muratorius, nondum de Caroli obitu nuntius in Italiam advenerat. Qui propterea Vir doctiſſimus cum documentum iſtud in numeris ab eo Regeſti ſub num. CCXXIV. a quo exceptum eſt, longius aberrare deprehenderit, plura quidem eruditiſſime, pro more ſuo, annorum Caroli & Bernardi numeros interpretando ibidem ſubdidit; quibus etſi ſphalmate numerorum ſuppoſito rem acu tangere videatur, ſi ei tamen ex ipſo Regeſto monumentum licuiſſet intueri, quamlibet prorſus difficultatem eliminaſſet: vidiſſet enim in Regeſto non annum XL. & V. ut in Chronico editum eſt, ſed XLII. Indict. VII. a qua indicato Chriſti anno 814 cui Caroli XL. & Bernardi II. ex æquo congruunt, ſumma XLII. annorum in monumento ſcripta conſtituitur.

Quamvis autem ab hac Epocha ut plurimum Itali annos Bernardi Regis numeraverint, aliquando tamen illius monumenta deduxerunt etiam ab anno 813. quo & Adhelardus Abbas Corbejenſis ex Tegano, (10) cui a Pippini Bernardi Patris obitu demandata fuerat Italiæ adminiſtratio, ubi intellexit Bernardum Italiæ Regno ſolemniter a Carolo præfectum fuiſſe, *accepit ei uxorem* (Chunibertam (11)) *& conſtituit ſecundum juſſionem Principis* (Caroli) *ſuper omne Regnum*. Aliud propterea monumentum in eodem Regeſto ſub num. CCXXXI. occurrit, in quo die XVII. Januarii, Indict. VIII (annus eſt

 815.)

(8) Annal. t. 2 lib. 28. num. XVIII. pag 410. ad ann. 814.
(9) t. 2. par. 2. Chron. Farfenſ. notat. 33. col. 361.
(10) cap. 6 num. XVII.
(11) ex docum. ap. Mabill. Annal. t. 2. lib. 31. num. XXXIX. pag. 577.

815.) Ludovici æque ac Bernardi ſecundus annus enunciatur, qui omni procul dubio utrique Regi ab anno Chriſti 813 eſt numerandus.

Hiſce prænarratis jam ſcis, Amice ornatiſſime, ſuper annis & menſibus Bernardi Regni, ſicuti & decimaſeptima die Aprilis emortuali concordare omnes: una eſt Indictio X. pro qua contentionis funem ducunt Chronologi. Decimam libenter Palatini Socj recipiunt; at quum ita grave videatur ad annum 817 quem Indictio X. nullis ambagibus demonſtrat, Bernardi obitum retrahere, in doctiſſimi tui Puricelli ſententiam pedibus non tantum iverunt, Curiæ Eccleſiaſticæ Mediolanenſis Indictiones a Regia non triennali modo anomalia diſtinguentes, quod fecerat Puricellus, ſed alia prorſus vaga & inconſtanti.

Hominis aliud agentis eſſet rem hanc in præſentia diſcutere: Id unum te monitum volumus Puricellum ſuiſmet armis in eo opere noſtro, cujus meminimus ſupra a nobis fuiſſe confoſſum; quippe qui Eccleſiaſticis Mediolanenſium Antiſtitum monumentis ab ipſo prolatis hanc a ſe confictam Indictionum anomaliam a veritatis regula exorbitare demonſtravimus. Reliquum ergo ſit, ne tempus in ſuperfluis prodigamus, ut Chronicos Epigraphea characteres cum iis conferentes, quæ ſynchroni Scriptores memoriæ demandarunt, apto in lumine rem collocemus. Primùm accipe Bertinianum (12) „ tranſacto *quadrageſimali jejunio*, inquit, *paucis poſt ſanctum Paſcha diebus* con„ jurationis Auctores .... *ſimul & Regem*, judicio Franco„ rum capitali ſententia condemnatos, luminibus tantum „ juſſit orbari Epiſcopos &c. „ Huic Teganum (13) adnecte, qui paucis nos docet „ *tertia die* poſt amiſſionem „ luminum *Bernardum* obiiſſe. „ Hiſce ſemel ſuppoſitis pri-

(12) ad ann. 818

(13) ap. Pag. ad ann. 817.

primam & quartam ex Bernardi Epochis ; quum nihil ad nos, libenter mittentes ad calculum ipſum accedamus ; qui ſane duci nequit ab anno 814. quo quidem Bernardus a Ludovico Patruo confirmatus eſt in Regnum, at ab Avo Carolo Italiæ Rex inſtitutus fuit : qua in re ignorat profecto nullus confirmationem ab inſtitutione plane fore diverſam.

Verum præterea quum ab anno Chriſti 812. ad 818. cujus eſt Indictio XI non ut in Epigraphe X. & litera Dominicalis C, quæ Paſcha celebratum indicat die XXVIII. Martii, anni quinque ſolidi numerentur, iccirco iſte etiam calculus, quod ſit contra lapidis teſtimonium, explodendus videtur. At vero ab anno 813. ad 818. quatuor quidem dumtaxat anni ſolidi intercedunt; verum inſuper ab Auguſto menſe ad Aprilem octo, ſin autem a Septembri ducatur initium, ſeptem interfluunt menſes, quum tamen Bernardus, lapide teſte, quinque tantum ſupra quatuor annos regnaverit.

Neque hac in re, ſi bene caveris, magnopere Sigonii, quem Pagius ipſe nimia profecto facilitate ſequutus eſt, auctoritas te movebit : etſi enim potuerit Sigonius ſatis confidenter, quippe nullo, quod ſciamus, innixus fundamento, conventum illum in quo Ludovicus Imperii conſors & Bernardus Italiæ Rex fuere nuncupati, in menſem Novembris, imo, quod mirere magis, in ipſam diem XV. Kal. Decembris rejicere, unde probe ſane conſequeretur annos quatuor & quinque ſolum menſes regnaſſe Bernardum: nobis tamen iſthæc quo minus pari facilitate ſuſcipiamus, obſtant Annaliſtæ Cæſareus & Moiſſiacenſis, qui quum Auguſto aut Septembri menſe conventum illum affigant, nolumus ab iis recedere, niſi aliquo cogamur ſolido fundamento.

Ignoſcendum tamen Sigonio, quippe qui Bernardi obitum ad annum 818. producens, ex lapidis Epigraphe cal-

calculum ſubducere non poterat, niſi menſi illi atque diei conventum conſignando: quod fortaſſis in cauſa fuit, cur Pagius ipſe vir cetera oculatiſſimus, in eamdem ſententiam vel pedibus iverit. Quem hominis lapſum non vehementer miraberis, quum probe ſcias quandoque bonum dormitare Homerum. Non ſemel in minutis quibuſdam rebus peccavit Pagius, quas tamen diligentius ſuiſſet perſcrutatus, ſi magna exinde ac gravia paſſim deduci animadvertiſſet. En tibi hujus generis erratorum exemplum. Ex documentis apud Margarinum (14) ſub certis notis Adalualdi Langobardorum Regis prolatis aliquas intulit Pagius (15) ſequelas ab iis certe diſſonas, quas deduxerat ex iiſdemmet documentis apud Ughellum, (16) diverſis tantum Chronicis notis Regis ejuſdem inſignitis.

Etenim non obſervavit Pagius eadem, ac ipſiſſima fore Adalualdi documenta a Margarino, ac Ughello, quamvis ſub diverſis Chronicis characteribus, & quidem utrobique mendoſis, relata. Imo, quantumvis notas Chronicas eorum mendoſas agnoverit ipſe; nihilominus animoſius, quam par eſt, quod & eidem frequens, quædam falſa protſus ipſe deducit. Illud equidem Attalæ Bobienſis Abbatis favore datum, ex Ughellianis characteribus, nempe Adalualdi *anno VI. Indict. IX* Chriſti anno 616 alligat, eique anno Agilulphi Adalualdi patris obitum affigit. Ex eodem vero ipſiſſimo monumento, ſed ſub Margarinianis notis, nempe *anno* Adalualdi XVI Indict. IX Attalam Chriſti anno 627 cui, non uti prius 6 6 documentum alligat, deceſſiſſe concludit. Et inſuper Adalualdum e regno ab Arioaldo ejectum, a Langobardis Proceribus, Honorio Summo Pontifice ſuadente, in Regnum reſtitutum,
evin-

(14) Bull. Caſ. t. 2. Conſtit. III. & IV. pag. 2.
(15) t. 2. ad ann. 616 pag. 774. primæ edit. a num. VII. ad X.
(16) Bobienſ. *Epiſc.* t. 4. coll. 954. & 955.

evincit. At falſa quæcunque; uti evincitur ex alio ejuſdem Adalualdi monumento Bertulfo, in Bobienſi Abbatia Attalæ ſucceſſori, dato apud Ughell. *anno Adalualdi VII. Ind. X* & apud Margar. *anno ejuſdem XVII. Ind. I.*, ſi mendoſi characteres Chronici, ut in autographo Bobienſis Tabularii proſtant, reſtituantur. Eos enim olim ibidem eruimus, nempe: *Dat. Papiæ in Palatio ſub die XVI Kal. Auguſti anno regni ejus feliciter XVII. per Indict. VIII.* Ab hac enim VIII. Indictione, una cum anno Adalualdi XVII. a prima ejus Epocha computando, quando nimirum ab Agilulpho patre in Regni conſortem fuit adſcitus Adalualdus, Chriſti annus 620. connotatur. Ex quo inſignis character Chronologicus exurgit, Adalualdum ſcilicet, a patre, non anno 605. ſed ſuperiori 604. Regni conſortem eſſe nuncuparum.

Sed ad rem noſtram inde manifeſtum fit Attalam Bertulfi deceſſorem, non anno 627. uti vult Pag. cum Mabillon neque 626. uti Bollandiſtæ tradunt; ſed inter XXV. Julii diem anni 619. ut ex primo Adalualdi monumento, quod infra planum fiet, & XVI. ſaltem Julii diem anni 620 deceſſiſſe. Et ſi Jonæ, ut æquum eſt, fides habenda ſit, Februario, aut Martio menſibus 620. Attalam ad plures abiiſſe, conſtat.

Primi ſane monumenti ab Adalualdo Attalæ favore conſcripti, in Bobienſi Tabulario neque autographum, neque exemplum ullum offendimus; ſed facile ex altero ſupra expoſito corrigi poſſunt & debent illius chronicæ notæ; itaut cum Margarino (cui ſolemne, uti paſſim obſervavimus, in Langobardorum Regum monumentis, annis Regnantium, ut plurimum, retentis, indictiones ad libitum adnotare, ut ſui ſpuriam eorum Chronologiam conſervaret) datum ſit *anno Adalualdi XVI. Indictione* non XV. *ſed VII.* Ex quibus clarum eſt, neque Agilulphum eo anno, qua Pagius ait, ſicut nec Attalam deceſſiſſe; neque

Ada-

Adalualdum Regno reſtitutum, ex iis documentis jurè deduci poſſe. Quin imo & Sigonium ipſum (17) aſſerentem Arioaldum Adalualdi ſucceſſorem, Attalam collocutum eſſe, huncque illius munera reſpuiſſe, fore caſtigandum, cum non paucis annis ante Arioaldi in Regnum evectionem Attalam obiiſſe, ex ſupra expoſitis, manifeſtum fiat.

Sic etiam ex quodam charactere, cujus ſpecimen Mabillon (18) ad finem Chrotildæ monumenti exhibet, a ſexdecim, aut ſaltem quindecim annis Clotarii III. Francorum Regis, uti communiter, ad annos tantum quatuordecim Regni retrahit; *ſunt enim ibi*, inquit (19) *tres figuræ poſt vocem anno per abbreviationem exarato. Prima eſt X. ſecunda I. tertia V ſed ultima lineola hujus numeri V. progreſſu temporis deleta ſola ipſius ſummitate excepta; cujus ſolum reſtat, nempe punctum.* Iis qui in legendis antiquis characteribus Tyrones ſunt, hæc poterit fortaſſe Pagius ſuadere: minima enim diſtantia. puncti, ſcilicet, a lineola, quæ V. componere deberet, una cum inflexione ipſius lævam verſus quamvis minima, ſatis ſuperque Pagii pulcherrimum cogitatum explodunt Habeat ergo id ſibi domi Pagius tam bellæ inventionis novus magiſter: ubi enim exemplum iſtarum contractionum iis ſeculis oſtendet Pagius? non modo Merovingicorum temporibus, quod videre potes apud Mabillonium (20) in eo Childerici III. in quo anni & indictiones unitatibus repetitis non per contractionem, uti nunc, exarantur; ſed neque Carolinorum ævo, quemadmodum in Tabb. XXIV. XXVIII. & XXIX. apud eumdem, contractiones illæ uſitantur. Sed nimium fortaſſis ab inſtituto receſſimus.

Con-

(17) R. It. lib 2. ad ann 626.
(18) R. Dipl. tab. XIX pag. 379.
(19) t. 3 ad ann. 668. num. VI. pag. 55.
(20) tabb. XXII. & VII.

Conventum ergo illum Novembris menſe congregatum aſſerere palam prohibent ne dum Annaliſtarum teſtimonia, verum & Ludovici Pii monumenta. Legimus enim apud Mabillonium (21) *VII. Id. Septembris, Indict. I, Ludovici anno XXV.* ſeu Chriſti anno 837 Item (22) *V. Non.* (melius IV.) *Septembris Indict. XIV. Ludovici anno VIII* ſeu anno Chriſti 820. qui porro Ludovici anni quum ab obitu Caroli Patris numerari non poſſint, alias VII. aut XXIV. tantum numerandus eſſet, neceſſe eſt ducantur ab anno 813 ſique præterea VIII & XXV reſultare debent, ante II Septembris diem, Conventum illum convocatum eſſe Sole clarius apparebit. Ex his velimus obſerves etiam Ludovici Pii diplomatica monumenta ab ann 813 aliquando fuiſſe deducta; quod tamen inclytus Palatinis Socius minus placuiſſe videtur.

Sed, ut agamus liberaliter, demus ultro Sigonio & Pagio congregatum Novembri menſe conventum. Nonne a die XXVIII. Martii ad XVII. Aprilis viginti dies decurrunt? Qui ergo ſcribere potuiſſet Bertinianus *paucis poſt Paſcha diebus* infelicem Bernardum luminibus orbatum, & *triduo poſt* functum vita fuiſſe, quod ſcripſit Teganus? Hæc ſane, ſi quid ſapimus, Bernardi obitum ad annum Chriſti 818 produci nulla ratione patiuntur.

Age modo convertamus paucis idem ratiocinium ad ſuperiorem Chriſti annum DCCCXVII. cujus eſt Indictio X. lapidis teſtimonio congruens, & litera Dominic. D quæ Paſchalem ſolemnitatem die XII. Aprilis anno illo celebratam fuiſſe dubitare non ſinit. Profecto ſi a menſe Septembri, quo conventum fuiſſe coactum demonſtratum eſt ſupra, anno 813 calculum inire vellemus, tres tantum anni, & octo circiter menſes exurgerent. Verum contra ſi

c ab

(21) Annal. t. 2. lib. 31. num. LXX. pag. 592.
(22) ibid. lib. 29. num. XXV. pag 471.

ab anno 812. unde Bernardi Epocha Italis longe celebrata, ut vidimus, aſſurgit, numerandi exordia ſumentes ad annum uſque 817 deſcenderimus, tum vero quatuor Epigraphes annos habebimus: quumque præterea inter VIII. & XVIII Novembris diem Epocha iſthæc, quod pariter argumentis præfirmatum eſt a nobis, initium ſuum habeat, a Septembri 812. ad Aprilem 817. annos non modo quatuor, verum & quinque menſes qui ſunt in lapide expreſſi, numerare poterimus perquam commode. Tandem cum a XII ad XVII. Aprilis unice dies quinque intercedant, pronum tibi erit colligere, quam vere ſcripſerit Bertinianus *paucis poſt Paſcha diebus*, ſive duobus, Bernardum luminibus orbatum fuiſſe, & exuiſſe hominem *triduo poſt*, quemadmodum ex Tegano haud ſemel retulimus: quid clarius?

Ex his concludas velimus Bernardum ab Avo Carolo XVII Novembris die anni 812. in Italiam fuiſſe miſſum, vel ſaltem eo advectum eſſe: qui enim annos & menſes Regni Bernardi in Epigraphe ſcripſit, facile & dies, id quippe moris erat, adjeciſſet, ſi dies aliquot præter menſes regnaſſet.

Ut autem res iſthæc & lumen uberius, & robur amplius acquirat, id inſuper addimus in prælaudati Regeſti monumentis, quæ ante non inconſulto retulimus, poſt XXIX Martii diem Bernardum ultra non memoravi. Et quanquam argumentum hoc, quum negantium naturam ſapiat, vel exigui, vel etiam nullius ponderis videatur, poſitivorum tamen vim habere non denegabis, ſi advertes animum ceterorum Italiæ Principum iiſdem in monumentis memoriam occurrere. Numero CCXLV. quod exempli cauſa ponimus, menſe Majo, Ind. X. enuntiatur annus Ludovici IV & Paſchalis PP. a. I & quare Bernardi Regis annus reticetur? Num. CCXLVI Octobri menſe Indict. XI. anno Ludovici IV. P. C. IV. Lotharii Regis I.

&

& Paſchalis PP. I. nulla Bernardi facta mentione qui ſi Octobri menſe anni 817. cui XI. Indictio, annus Ludovici IV. P. C. Lotharii Regis, & Paſchalis PP. I congruunt, fuiſſet in vivis, qua tandem de cauſa, cum & Pontificis & Lotharii ſolius *vacationis eventu* (ut cum tuo Papien ſi Cive ludamus). Italiæ Regis memoretur annus Bernardi actualis Italiæ Regis annus V. ſuperioribus in monumentis perpetuo repetitus, præteriri debuiſſet?

Neque Farſenſis Regeſti monumentis cur fidem non adhibeamus, ulla æqua cauſa occurrere poteſt; etſi ultro fatemur in chronicis caractheribus mendum aliquod fortaſſis irrepſiſſe. Regeſtum quippe quod impræſentiarum ab aliquibus circumfertur, illud non eſt, ut olim minus recte putabamus, quod Johannes Grammaticus Farſenſis Monachus ex Cœnobii ſui membranis collegerat, quemadmodum ſuo loco ſatis late demonſtravimus; unde nobis anſa fuit prudenter ſuſpicandi de illius monumenti ſinceritate, quod ex eodem, teſte Mabillonio, (23) Ducheſnius in compendium redactum primus omnium produxit; idque ab eo (24) ex integro refertur, ac Farſenſi Chronico (25) ſubditur, & abutuntur modo quidam adverſus Apoſtolicæ Sedis dignitatem. Inepte tamen, teſte, pene diximus commentitio, contextu ipſius ævi inter ſe ſe luctantia, & indiculi abſurdiſſimaque proferente teſtimonia. Hoc tamen idem judicium ferri profecto non debet de monumentis a nobis relatis, quæ quum *præſtariarum*, *precariarum*, aliorumque id genus parvi momenti privatos inter contractus ut plurimum edoceant, cur depravari debuerint, aut ſuperinduci, nullam ſatis firmam rationem poſſumus comminiſci.

c 2 Atque

(23) Annal. t. 2. lib. 30. num. XXXV.
(24) ibid. num. LII. pag. 736.
(25) Rer. Ital. Script. t. 2 p. 2. col. 375. not. (90)

Atque hic finem habeat ea oratio noſtra, quam petitionis tuæ pars prima ſibi vindicat; cui ſi minus luculenter & ſolide minus a nobis factum eſt ſatis, erit comitatis tuæ, quod ſperamus deprecatum iri, tum impudentiæ notam a nobis ablegare, tum vero quæ in numerato habentes ſincere protulimus æqui bonique facere.

Antequam tamen ſermonem dirigimus ad Ludovici junioris Imperatoris Epochas, ſinas parumper noſmet nobis gratulari, in quos laudis nonnihil ex illius emunctæ naris viri, Danielem Papebrochium dicimus, ſententia apud Cl. Mediolanenſem Anonymum (26) Amicum noſtrum & iterum & ſemel acceſſurum eſt. Nos enim, quemadmodum & ille, *quotidie diſcere gaudemus, & novo accepto lumine mutare atque ſupplere feſtinamus qualeſcumque lucubrationum defectus*. Hoc ſi turpe *ſibi putat Theologus* non putat Hiſtoricus, ſed laudi ſibi ducit. Habes Vir candidiſſime laudum noſtrarum argumentum, quo facile poteris præſentire, quid tibi reſponſuri ſimus, dum perquiris honeſte, num illam Ludovici II. Epocham, quam ex anno Chriſti 843 deductam in Diſſertatiuncula Ludoviciana vulgavimus, fulcire poſſimus ſolidioribus fundamentis: atque tandem eccur privatim illud autographum documentorum cum characterum ſpecimine (27) relatum ab anno vulgaris Æræ DCCCXL. minime deduxerimus? quum tamen notæ omnes chronicæ eidem appoſitæ illi ipſi anno cohæreant adamuſſim.

Sane vel nos hoc idem tunc temporis (28) animadvertimus: verum quoniam tum ſolido fundamento deſtituti eramus, tum præterea nullius firmabamur Scriptoris coævi auctoritate, maluimus ſcelerco mendoſos numeros judi-

(26) Differt. Corograph. Ital. Med. Ævi ap. Rer. Ital. Script. t. xx. col. CCCXV.
(27) pag. 94.
(28) pag. 95.

judicare, quam gratis novi quidquam obtrudere in re literaria; neque enim adhuc ſatis eſſe cauſæ putabamus, ut uni Panvinio licet eruditiſſimo noſmet devoveremus. At vero vix ab Annaliſta Bertiniano per amicum noſtrum interjectis horis nobis commodato cognovimus ad annum 856 Ludovicum juniorem ab Avo Ludovico Italia donatum, ut perquam citiſſime Palinodiam cecinerimus in privata quadam noſtra Diſſertatiuncula, quam meritis, dignitate æque ac doctrina Eminentiſſimo Angelo-Mariæ Quirino Archiepiſcopo & Brixiæ Epiſcopo S. R. E. Cardinali ac modo ejuſdem Bibliothecario diſcendi gratia humillime, quod æquum erat, exhibuimus. Cui quidem Principi Celſiſſimo, ut cuique quod ſuum eſt reddamus, illud totum debere ingenue libenterque fatemur, quod ſcimus etſi perexiguum illud eſt & ferme nullum: profecimus enim & ex eruditiſſimis illius colloquiis, atque ex copioſa ſelectiſſimaque ſua Bibliotheca, cujus liberrimum uſum pro ea qua pollet clementiſſima humanitate donavit. Ex queis omnibus jam ſatis eruditi, ne dum monumentum illud, aſt etiam aliud privatum ex Campo ibidem adductum ab anno Æræ vulgaris DCCCXL deducenda fore certo certius eſſe ſtatuimus, quemadmodum demonſtravimus latiſſime in opere noſtro.

Sed en tibi demum Annaliſtæ Bertiniani verba · *A. 856. Hyems aſperrima & ſicca, peſtilentia valida, qua magna pars hominum abſumitur: Ludovicus Rex Italiæ filius Lotharii ſuper portione Regni paterni in Francia apud patruos ſuos Ludovicum & Karolum conquiritur* Italiam largitate avi Ludovici Imperatoris aſſerens aſſequutum. Et quis impudens tantum mentietur Principem!

Hic tamen fas eſt advertas monumentum illud San-Julianum datum eſſe II Kal. Septembris idest XXXI. Auguſti die; ne illud fortaſſis a Kal. Septembris deduceres, quod fecit eruditiſſimus Civis tuus Papienſis, ut commu-

taret

taret menſem, & illi anno cui non conveniebat, indictionem omnino perperam alligaret. A quo Cive tuo quoniam diſſimulationis hujuſce monumenti in Apologia noſtra licet immerenter expoſtulamur, *avvedutoſi*, ait ille, *che diſtrugge affatto il ſuo aſſonto*, volumus propterea hujuſce rei judicium penes Eruditos manere.

Cenſemus itaque, ut aliquid tandem colligere incipiamus, ab anno eodem 840. ſaltem ab Avi obitu, quæcunque optimæ notæ occurrentia tibi monumenta, ſi character Indictionis conſentiet, deduci nedum tuto poſſe, verum & omnino debere. Sic nos monumentum quoddam apographum in Tabulario noſtri Cœnobii S. Sixti Placentiæ, (29) *Dat. Idib. Octobris Ind. IX. anno Imperii Domni Ludovici XXXV. ad Colenna* (leges *Aſt Olonna*) interpretamur. Quia vero Indictio VIIII annum indicat 875, cujus Auguſto menſe jam Ludovicus obierat, debemus idcirco reponere VIII. atque tum annus XXXV. Ludovici anno Chriſti 874. ex hac Epocha deducto perbelle conveniet.

Ab anno præterea 840. monumenta non modo illa deducenda ſunt, in quibus Ludovici ſolius anni reluceot; verum etiam ea, in quibus ipſius anni cum iis Lotharii Patris enuntiantur. Qua tamen in re illud eſt cavendum, ut præter Indictionis concordantiam, anni Ludovici ab iis Lotharii vicennario diſtent, cujus generis monumenta frequenter occurrunt; atque inſuper Lotharii anni ab ejus Epocha tertia vel quarta, ſive ab anno 820, vel 821. Indictionis ratione numerentur. Quid? quod ex hiſce promiſcuorum Patris & Filii annorum documentis Epocham hanc Ludovici ab anno 840. deducendam eſſe ſolidius confirmatur? Hinc etiam deduci poteſt Diplomaticum illud ex Campo a nobis ibidem productum, ſi XV. Indictionem, quæ mendoſa eſt, commutaveris in IIII.

Sed

(29) See vol. 3. num. 4.

Sed ad omnem ſcrupulum, qui tibi de hac Ludovici Epocha ſuboriri poſſet, evellendum, lege ſis Ughellum, (30) penes quem deprehendes monumentum *Dat. III Non. Decembris anno Klothari gloriofiſſimi Auguſti XXXIII. & Hludovici filii ejus piiſſimi Auguſti in Italia III. anno Domin. Incarnat. DCCCLVIII Indict. VI.* Ridebis Amice datum a Lothario Diploma triennio poſtquam is obierat. Verum hic tibi vel Amanuenſis vel typi ſphalmati indulgendum eſt; cognoſces enim faciliter tam Æræ Chriſti interpolationem, quam characteris X. exuberantiam: legeſque propterea (neque ſane Adnotator ibi rem acu tetigit) *Anno Lotharii XXIII. Ludovici III Indict. VI.* quæ Decembri menſe annum Chriſti notat 842., qui eſt Lotharii non XXXIII. ſed XXIII. ſi ab anno 820. ducatur, & Ludovici III. ſi ab anno 840 numeretur.

Interpolatam ibi Chriſti Æram diximus, quoniam in Diplomatum autographorum *datis* ante Craſſum aut nunquam, aut nonniſi perraro eam offendes, licet contrarium tuus Papienſis Civis extra dubitationem omnem aſſeveret; imo & frequentius ante, quam poſt Craſſum uſurpatam contendat. Quod ſi apud Mabillonium (31) illud Karoli Magni occurrat. *Dat. Kal. Majas anno XV & VIIII. Regni noſtri ab Incarnatione autem D. N. J. C. DCCLXXIII. in die Aſcenſionis Dominicæ, in cujus vigilius ipſa dulciſſima conjux noſtra obiit in anno XII. conjunctionis noſtræ. Actum Tedone villa Palatio noſtro in Dei nomine feliciter, Indict. VI. Erchambaldus ad vicem Redonis &c.* Te tamen eruditio tua ignorare non ſinet legem loqui de eo quod non ſemel, ſed ut plurimum contingit. Profecto in ſingulari hujus monumenti data nedum Incarnationis annus, & Indictio notantur,

(30) t. 5. col. 270. Comenſ. Epiſc.
(31) R. Dipl. lib. 2. cap. 26. pag. 190. & Annal. t. 2. lib. 25. num. XXXIV. pag. 265.

24

tut, verum etiam ſolemnitatis hebdomadicæ dies, conjugii tempus, conjugiſque obitus recenſentur. Ergone reliqua omnia poſt hanc diem Caroli diplomata, quorum datæ hiſce characteribus deſtituuntur, ſpuriis accenſenda erunt? Oh rem ridiculam Amice & jocoſam! Nos equidem non paucas Diplomatum centurias ex laudato ſupra Mabillonio, Arderto, Cointio, Ducheſnio, aliiſque ad noſtrum concionandum opus in adverſariis noſtris non ſine tœdio & labore collegimus, atque in eorum Datis, quamquam ex editis eſſent, in iis quoque Caroli Magni ante tamen Auguſtalem a Pontifice collatam ſibi dignitatem, tum etiam in illis Merovingicorum Regum non modo Incarnationis annus, ſed & ipſa Indictio deſideratur: quum ceteroquin Franci publicis in Actis, præſertim Eccleſiaſticis, tum Indictione ſive a Kal. Septembr. ſive ab VIII Kal. Octobr. (ſcis enim Scriptores Francos de Indictionum initio inter ſe non convenire) tum Chriſti Æra paſſim uterentur.

Maneat eapropter quod ſemel iterumque dicimus Æram Chriſti in Diplomatum Datis locum ante Craſſum (poſt hunc vero in quibuſvis Imperatorum aut Italiæ Regum ſive editis ſive autographis monumentis eam ſemper in iis, quæ vidimus, offendimus) non habere, licet admiſſam fateamur in eorum contextu, vel in actis conciliaribus, ceteriſque id genus tum publicis tum privatis monumentis. Neque hoſpites adeo ſumus, ut prorſus ignoremus, quonam potiſſimum tempore Æra Chriſti Dionyſiana poſt tot diſcrimina rerum in publicis Actis invaluerit: id negamus unum in Diplomatum ſuorum Datis ante Craſſum uſurpatam fuiſſe. Non probe conſulit valetudini ſuæ, qui inter itinerandum obviam quamcunque facile haurit aquam; quapropter Æram hanc, quoties in editis monumentorum Datis apparebit, interpolatam perpetuo cenſebimus & dicemus. A quo propoſito noſtro Papienſis tui

diſtin-

diſtinctio nos minime deterrebit, quæ utut in autographis valere poſſet, in editis tamen aut apographis ne gry quidem juvare poteſt, quum eam ubilibet intrudere quiverint Amanuenſes.

Profecto apud Ughellum (32) legitur Leonis PP. III. Diploma *Dat. Kal. Decemb. anno Domini DCCCXV. Indict. IX. Pontificatus vero D. Leonis PP. III. anno XX.* Ita nos Deus amet, uti certi ſumus neque tuum Papienſem Civem factam ibi interpolationem, quidquid de ejus regula ſit, abnegaturum. Item apud eundem (33) *Dat. Idib. Maji, anno ab Incarnat. Domini DCCXLII. Ind. X. anno Regni Sereniſſimi Rachis III.* ubi optime Adnotator ſupplet Ind. XV. & Chriſti annum 747., quum anno 742 regnaret Luitprandus. Hiſce etiam clarius & evidentius eſt hoc aliud (34) *Act. Ticini in Palatio IV. die menſis Martii, anno DCCXLVI. anno feliciſſimi Regni noſtri* (Rachis) *II. Ind. XIV.* quod idem documentum refertur a Campo (35) liberali ceteroquin Æræ Chriſti donatore; ac ex Campo Mabillonius (36) ſub hac ſimpliciſſima Data: *Act. Ticini in Palatio IV. die menſis Martii, anno feliciſſimi Regni noſtri II. Ind. XIV.* ſine ullo Æræ vulgaris anno: qui tamen Chriſti annus juxta civis tui regulam genuino loco intruſus eſt.

In Collect. Lab. Concill. edit. Ven. (37) adeſt epiſtola Pelagii PP. II. (de illius authenticitate non inquirimus modo) ad Johannem Conſtantinopolitanum *Dat. Kal. Martii Anno Domini DLXXXVII. Ind. V.* quæ tamen apud Laertium Cherubinum (38) data dicitur *Kal. Martii Ind. V.* En igitur quot Æræ Chriſtianæ interpolationes ad Amanuen-

d

(32) t. 7. col. 702. Cuperſani Epiſc.
(33) t. 3. col. 589. Cluſini Epiſc.
(34) t. 2. col. 198. Epiſc. Placent.
(35) Stor. Eccl. Piacent. t. 2. pag. 454.
(36) Annal. t. 2. lib. 21. num. XLI. pag. 104.
(37) t. 6. col. 638.
(38) Bull. t. 1. pag. 7.

nuenſium libidinem in monumentorum datis intruſas.

Neque contra hæc quæ modo diximus, facit quidquam documentum illud Carolinum a Papienſi tuo adductum in exemplum ex Farfenſi Chronico; (3) quod etſi bis in ſinu ſuo refert annum ab Incarnatione D N J C. DCCCII & III. Imperii ejus, unde dixerit irriſorie civis tuus, *ſarà forſe interpolato?* non propterea tamen de illius integritate dubitandum eſt, de qua neque præſtantiſſimus Muratorius hæſit, neque ſane nos hæſitamus. Cauſam poſtulas? Quoniam res eſt plane diverſa, quod vel notum eſt, vel ſaltem deberet eſſe Papienſi tuo, Chriſti Æram in contextu Diplomatis inſeri, ac in Data. Fatemur eam bis in corpore legi, at in Data ne ſemel quidem: ſic in Regeſto (40) ex quo in Chronicon derivatum eſt, hoc unum legitur: *Data Idib. Junii Indict XI anno XXXV. XXIX & Imp. III* Porro nos non de contextu Diplomatum laboramus, ſed unice de eorum Datis agimus egimuſque.

Alia objicit Civis tuus monumenta, quæ ex noſtro Tabulario San-Sixtino exſcerpſit Campus, in quibus Æra vulgaris in Data reperitur. At non advertit Argutator noſter Campum de ſuo addidiſſe Æram, quemadmodum adjecit io Tabulis Teſtamenti Angilbergæ Auguſtæ, in quarum exemplo authentico in eodem Tabulario aſſervato (41) id tantum legitur: *Anno Imperii Domni Karoli hic in Italia ſecundo, menſe Martio, Indict. decima. Actum Brixia inter Monaſterio novo fel. &c.*

Verum pergit adhuc nobis imponere Papienſis, quod rurſum diſſimulavimus monumentum quoddam ex laudato San-Sixtino Tabulario ab eodem Campo cum Æra Chriſti

(39) col. 358.
(40) num. CXC.
(41) A. fil. 2. num. 2.

Google

ſti productum. Hujuſce rei te judicem volumus. Oppoſiti documenti duæ ſunt membranæ, harum una quam in laterculo noſtro ſub num. XXXIII. citavimus ſic ſub num. 14. concepta eſt: *Data anno Hludovici XXI. Ind. III. III. Non. Junii Act. in Civitate Venuſia*: altera vero ſub nu. 15. eamdem quidem Datam habet, at poſt III. Non. Junii additi ſunt inſuper *anni Incarnat.......Act. &c.* Nonne ex duabus hiſce membranis, niſi ad nuces redire vellemus, illam Amice erudītiſſime feligeres, quæ Æra Chriſti caret? Hanc & nos elegimus: injuria ergo diſſimulationis arguimur.

Sed ut plenius hanc ſpartam adornemus, & vel ipſa dubitandi veſtigia deleamus, dicamus hic pauca de altero monumento, quo jam olim Anonymus Mediolanenſis erudite, ut moris eſt, Abbates quoque Benedictinos ad Archicancellarii Imperialis dignitatem evectos probavit, oſtendens Hilduinum Bobienſem hoc munere functum fuiſſe; cui etiam ſi lubet, adjicere poteris Heliſacharem, ac Fridugiſum Imperiales Cancellarios hunc Sithienſem, illum Centulenſem; necnon Hugonem, item Sithienſem, Radonem Nobiliacenſem, ac Hitherium S. Martini Turonenſis Archicancellarios, qui omnes Benedictini Abbates fuere; quemadmodum & vocabulum *Feudi* ſeculo IX. in uſu receptum fuiſſe: etſi enim monumentum illud prælaudatus Anonymus Mediolanenſis cum Æra Chriſti vulgaverit, ſcito tamen id haudquaquam eſſe autographum; uti ab Amico Bobienſi alumno Brixiæ percepimus; ſed exemplar XIV. Kal. Septembr. MCII. Placentiæ coram Manfredo Cardinali & Legato recognitum: quamobrem interpolatam fuiſſe Chriſti Æram ab Amanuenſi tuto poſſumus arbitrari.

Verum etiamſi documentum judicatum fuerit autographum ab Anonymo, illud tamen corrigere non dubitavit in annis Lotharii *Italiæ XXVIII. & in Francia XVII.*

d 2 con-

contrahendo optime quidem annos Franciæ ad VII.; at non æque bene producendo annos Italiæ ad XXVIIII, pro XXVII (eſt enim annus Lotharii ab anno Chriſti 820 numerandus) ut in eo legitur, teſtanturque vel ipſi Socii Palatini. (42) Inepte igitur, ut modeſte loquamur, a tuo Papienſi carpimur, quod in alio quodam Lotharii monumento in laterculo olim edito ſubnum XIV annum Chriſti 848 ab XI Indictione indicatum non congruere anno Franciæ IX. in eo monumento conſcripto animadverterimus. Si ei curæ fuiſſet Mabillonium conſulere, vidiſſet ſane, quemadmodum infra nos palam faciemus, ipſa quoque autographa monumenta mendis aliquando deturpari.

Id parum æquo animo in Papienſi tuo ferimus, quod in laterculo noſtro illa quidem loca notaverit, in quibus aperte Margarinianæ editionis menda corriguntur, at vero neque amice, neque attente ſatis ea perſpexerit, in quibus tacite reliqua caſtigamus. Quid ei facilius fuiſſet quam ibi deprehendere *lacunam* in italicis annis XX loco a Margarino ſuppoſitis ſicuti & XI per I. Margarinianam Indictionem? quos ſane numeros ſi Margarinus adjecit, eos ipſe tueatur, nos ne dum reliqua, quod tamen ille affirmat, minime approbavimus, verum ſatis etiam ſuperque refellimus.

Hæc autem non ea mente dicimus, Vir honeſtiſſimus, quod ægre patiamur ab amicis corripi: ita profecto ingenio comparati ſumus, ut neque monitores expectemus, & vel ſponte retractemus errata, ſi quando per noſmet deprehendimus. Sic modo etiam lubenter & ultro fatemur tunc temporis hallucinatos nos eſſe, atque apprime Martio menſe 848. annum Franciæ IX. Lothario competere ingenue arbitramur.

Porro huic illuſtrandæ rei ſinas quæſo, paulumper excur-

(42) num. 10. pag. 220. (VII)

curramus. Non unam ſed tres Francicas Lothario Epochas tribuendas eſſe cenſemus; unam, ut norunt omnes, a die Patris emortuali anno 840. aliam ab anno 843. quo regios inter fratres Lotharium, Ludovicum, & Carolum nova Franciæ diviſio ex Arbitrorum ſententia inita fuit, quemadmodum anno ſuperiori inter ſe ſe, ut ait Bertinianus, fratres convenerant. Peris unde hanc Epocham? Exhibemus monumentum apud Mabillonium (43) favore celeberrimi *Lucariæ* Monaſterii, quod & nomen dedit, ait ille, celebri Urbi (Lucernæ) quæ caput eſt Helvetici Pagi cognominis ejuſdem, a Lothario *Dat. VII Kal. Aug. Anno Imperii Hlotharii* XII. *Indict.* III. *Act. Strasburg*. Subdit ibi C. V. *forte XVI*, verum annus XII retinendus eſt, quem deducere omnino debemus ab anno 843, nihil de ſcrupulis Mediolanenſis Anonymi ſolliciti, opinantis Imperii vocabulum perpetuo ab Imperiali Epocha numerandum eſſe, quum reapſe ſexcenties tum Lothario, tum Ludovico filio, ut ex ſupra traditis, & infra tradendis monumentis claret, Curiæ Notarii eos pro libito adnumerare conſueverint: annus itaque Lotharii XII. Chriſti anno 855. ab Indict. III. indicato peroptime quadrat.

Prima vero Francica Lotharii Epocha non ab obitu Ludovici Patris, ſed ab anno ſuperiori 839. Majo exeunte, aut initio Junii debet inchoari. Eo quippe tempore Ludovicus Pius in Conventu Vormatienſi Gallias inter Filios primo diviſit, unde Lothario inter cetera pars Burgundiæ contigit, ut habet Bertinianus (44) legiturque in diviſionis formula: *quarum altera Regnum Italiæ, partemque Burgundiæ &c.* atque ex iſthac prima Francica Lotharii Epocha monumentum San-Julianæum deducendum eſt. Papienſis autem Civis tuus cum Pagio & Annaliſta Metenſi ad

(43) Annal. t. 3. lib. 34. num. LXXXVII. pag. 43.
(44) ad ann. 839. pagg. 524. & 525.

ad annum 838 Vormatienſem Conventum retrahens de ſe videat ipſe · annus enim Bertiniani non uni tantum ſuperius adducto monumento, ſed & alteri San Sixtino (45) firmiſſime innititur *Dat. XIII Kal. Aprilis, anno Christi propitio Imperii Domini Hlotharii Pii Imperatoris* (heu ! & hoc ſpurium, quum *Pius* ex Anonymi Mediolanenſis ſententia ſit unice Ludovici Lotharii Patris titulus) *in Francia IX. & in Italia XXIX Indict. XI Act. Aquiſgrani* : nonne ipſe etiam annus Franciæ IX. Martio menſe ab anno Christi 839 numerandus? Papebrochium, ceteroſque id generis Criticos minime reſpicimus, dum hæc in Tabulariorum loculis abdita producimus monumenta. Tibi præterea, ne cauſam habeas hæſitandi, Mabillonium (46) indicamus, quem penes inſpicies monumentum „ Dat. XVII Kal. „ Februarii, anno Christo propitio *Imperii D. Lotharii* „ Pii „ (en iterum Lotharius cognominatur *Pius*) „ Imperatoris in Italia XXVI. & in Francia VI. Indict. VIII. „ Actum Aquiſgrani . „ At *Pii* titulus Lothario? Quid ni? quum Pius, Piiſſimus Ludovicus, Lotharius, Ludovicus junior, ceterique Reges etiam Langobardi, atque Imperatores vel ſexcenties in Diplomatis appellentur.

At pergamus opinionem noſtram aliis monumentis firmare, ut queas nobiſcum quoquam remoto ſcrupulo convenire. Apud eundem Mabillonium (47) illud tibi occurret *Dat. Id. Maji anno Christo propitio Imperii D. Hlotharii XXVI. & in Francia VI. Ind. VIII Actum publice in Palatio Regio Argentorato cum iremus in Italiam &c.* Hoc ipſum monumentum Anonymus Mediolanenſis (48) vidit, probavit, ac etiam quædam ad inſtitutum ſuum ab eo pererudite deduxit. Rejiciat modo refutetve Papienſis tuus

tum

(45) Sur fil. 1 num 5.
(46) R. Dipl. lib. 2 cap. 26. num XV. pag 196.
(47) Annal. t. 2. lib. 23. num. XXXI. pag. 664. ad ann. 845.
(48) Sect. XX. num. 109. col. CCXXVIII.

tum iſtud, tum San-julianum, ac reliqua præallegata monumenta, quæ & data ſunt ante diem Ludovici Pii emortualem, & neceſſario ab anno Chriſti non 838. neque 840. ſed 839. numerari debent.

Conſtet ergo jam atque inconcuſſum maneat Conventum Vormatienſem, in quo decreta eſt Lothario Burgundiæ portio, ſive Franciæ pars non anno 838., ut opinati ſunt Pagius & Annaliſta Metenſis, ſed 839. Bertiniano etiam affirmante, convocatum eſſe; atque Lotharium exinde primam ſuam Francicam inſtituiſſe Epocham, ſecundam vero ab obitu Patris. Documenta tamen quæ proſtant, vel ſaltem quæ vidimus, data ſub Epocha prima quum paucis tantum menſibus diſtent ab iis, quæ ſub altera emanaverunt, ideo communiter Scriptores (præfiscine hoc nunc dixerimus) ad hoc uſque ætatis, noſque cum illis, ſplendide hallucinati ſunt, Francicam Lotharii Epocham unice ab obitu Pii ſupputando.

Annos itaque Lotharii in monumentis enuntiatos, Indictione duce, a novem Epochis numeramus; a quibus tamen infamem illam Agobardi a Patris Ludovici degradatione, & alteram ab anno 828. derivatam expungimus, quam tamen poſtremam, etſi de ea neque ſomniavimus, nobis imponit Papienſis tuus in ſuo indice Antipologiæ. Nos enim omnes haſce Epochas ab annis Chriſti 814. 817. 820. 821. 822. 823. 839. 840. & 843. Annaliſtarum ac Scriptorum auctoritate, necnon ope monumentorum, ſi primam, ſeu Bavaricam excipias, quam documentorum inopia non licuit confirmare, in opere noſtro data occaſione, deducimus, & late demonſtramus.

Verum longius fortaſſis æque a Porticu noſtra diſceſſimus; Quamobrem ut noſmet ad nos recipiamus, Ludovici junioris Epocham ab anno 840. derivatam tutiſſime complectimur, atque ab illa Diplomata omnia, & cetera id genus documenta, nullo habito ad Æram Chriſti (quæ,

quam-

Digitized by Google

quamvis ſeculo ſexto adinventa, & a Craſſo in Datis Diplomatum uſurpata, apud Notarios attamen Italos in contractuum privatorum Tabulis, uti ſcis, & nos ex earum ſexcentis obſervavimus, niſi undecimo labente ſeculo communiter invaluit) nullo habito, inquam, ad Æram Christi in eorum Datis interpolatam reſpectu, dummodo character indictionis, uti diximus ſupra, bene cohæreat, deducenda eſſe certiſſimo judicamus.

Ea quæ hucuſque abunde retulimus, extra omnem dubitationis aleam rem noſtram ponunt, adeo ut alia deinceps congerere videretur fortaſſe ſuperfluum: unum tacitè præterire non poſſumus, quod apud Campum (49) in hæc verba: *In Christi nomine Anno Domini Hlotharius Imperator, Hludovici Rex ejus filio anni Regni eorum vigeſimo ſeptimo, & ſeptimo, menſe Junio, indictione decima. Petro ego Martinus &c.* Omnes monumenti hujuſce numeri alphabeticis characteribus ex integro exarati, quod mendoſi eſſe poſſint, jure ſuſpicari non ſinunt. In eo tamen anno 850. addicendo lapſus eſt Campus; indictio enim X. annum Christi 847 manifeſtat, qui ab anno 821. numeratus, eſt a prima Maji die Lothario XXVII. inchoatus. at annus Ludovici VII. unde ſupputandus? Sane nonniſi ab anno 840. Sole itaque clarius eſt hanc Ludovicianam Epocham ab anno 840. derivandam eſſe.

Quemadmodum vero ex Bertiniani ſilentio nos latet, quonam anno Ludovicus donatus ſit Italia, propterea licebit etiam ejuſdem monumentorum annos, ſi optimæ notæ ſint, cum Indictione ſi congruant, atque ab annis Lotharii, quum in iiſdem fuerint enuntiati, nequaquam diſſentiant, licebit, inquam, ante annum 840 numerare. Qua tamen in re aperte nimium doctiſs Panvinius loco alias adducto loquitur, etſi maxime quidem Reipublicæ lite-

(49) pag. 457. num. VIII.

literariæ detrimento, putidiſſimum mendum irrepſerit in numeros typo impreſſos: *Ludovicus II*, ait, *Rex Italiæ a Patre Hlothario & Avo Ludovico appellatus eſt A. Domini LXXXIII* Neque enim iſthæc quo revera Chriſti anno contigerint, cum nobis ſit curta ſupellex, ac Scriptores altum ſileant, poſſumus certo ſcire; divinare autem nolumus, ne, quod Ariolorum proprium eſt, uſurpemus.

Etſi vero annum illum inveſtigare nequimus, quo juniorem Ludovicum ab Avo donatum Italia fuiſſe monſtremus; id nihilominus ante annum 837. eveniſſe poſſumus argumentari ex eo Lotharianodocumento, quod olim Anonymus Mediolanenſis ex ſigno Ludovici II dicti in eo *Auguſti* poſtulavit falſi nullo ſtabili prorſus fundamento, quum genuinum ſit; quemadmodum tibi, quando non licet aut decet Anonymo & Papienſi tuo, mox ſumus oſtenſuri. Neque enim propterea quod Synchroni Scriptores (hoc maximum eſt ipſorum argumentum) nunquam tradiderint Ludovicum juniorem a Patre aut Avo in publico Conventu *Auguſtum* tunc eſſe nuncupatum, conſequitur ſtatim *Auguſtum* eſſe aut dici non potuiſſe. An non eximia junioris Ludovici in Italiam pietas & fortitudo, ut aptiſſime Sigonius in ejus Elogio, Homerum alterum, vel Saluſtium, vel Polybium, Livium, vel quempiam denique ex hiſce nominis magni Scriptoribus, ſi fata faviſſent, debuerat nanciſci? Ecquis tamen Francorum, etſi fuerit regio eorum ſanguine prognatus, ecquis Italorum egregia & præclara Ludovici facinora æquo calamo digeſſit in faſtos? nonne id operis a paucis aggreſſum & jejune & inconcinne? Ubinam gentium obiit ille? Mediolani? id ſcilicet pauci quidam tradunt; verum repugnat Annaliſta Fuldenſis apud Pagium, (50) *interea*, inquit, *Hludovicus Italiæ Imperator moritur, cujus corpus translatum Mediolan*

e m

(50) ad ann. 875.

in Baſilica S. Ambroſii ſepultum: ſi enim tranſlatum eſt corpus Mediolanum, ibi profecto Ludovicus extinctus non eſt. Ubi ergo? rogas? In territorio Brixiano, & quidem non die XIII uti vulgo, ſed XII. Auguſti, ſepultuſque fuit in Eccleſia S. Mariæ, quem deinde exhumatum, Brixiano Epiſcopo vel invito, Mediolanum tranſtulerunt; quemadmodum noſter Cl. V. P. D. Jo. Gaſpar Beretta in Regio Patriæ tuæ Lycæo Philoſophiæ publicus Profeſſor nos Brixiam incolentes, is eſt viri erga nos amor, per epiſtolas edocuit. Horum autem omnium teſtis eſt Andreas quidam Presbyter tom. 1. pag. 99. b. Collect. Rer. German. Script. Menchenii (atque utinam, ſaltem ommiſſia ex Paullo Diacono ab eo coogeſtis in Rer. Ital. Scriptt. Collect. locum quoque obtineret) qui ſubmiſſis humeris ab Ollio ad Adduam fluvium Ludovici cadaver & ipſo identidem pertulit. Sed cur hæc funebria? Quis Synchronorum aut a longo deinceps tempore Scriptorum Ludovici junioris Natalem diem poſterorum memoriæ commendavit? ergo neque in vivis extitit? Gerræ. Quemadmodum itaque Ludovici naturalis natalis diem præteriere Scriptores, ita & natalis Auguſtei dies oblivione ſepulta.

Quintio Sextio Saturnino, & Q. Lucretio Veſpillone Coſs. anno circiter 735. ab U. C. Octavium Auguſtum Romam rediiſſe, & ex multis ei oblatis honoribus illum tantum dignatum legimus, ut Ara Fortunæ Reduci conſecraretur, dieſque ſui reditus inter ferias relatus *Auguſtalis* diceretur. Legimus præterea eumdem Magiſtrum morum ſub iiſdem Coſs. ad turbas Romæ comprimendas nuncupatum, atque obtinuiſſe a Senatu legum pro arbitrio condendarum poteſtatem, quæ, uti ſcis, *Auguſtales* itidem appellarentur. Sic & Pulcheriam a Theodoſio fratre ſolemniter *Auguſtam* dictam fuiſſe. At vero nullibi legiſſe recordamur tum apud Latinos, tum Byzantinos Scriptores, perſonas privatas, legiones, Magiſtratus, Marcianam Trajani

jani ſororem, Juſtam-Gratam-Honoriam Gallæ-Placidiæ filiam ſolemniter *Auguſtales*, ſive *Auguſtas* fuiſſe vocatas. Nos tamen noſtrismet oculis in Taurinenſis Lycæi Atrio in lapidis fragmento vidimus, tuque ipſe apud Gruterum (51) videre potes privatas interdum perſonas *Auguſtarum* titulo decoratas, uti *C. Comiſiæ Aug.* Magiſtratus, legiones *Aug.* Martianam *Auguſt* ſicuti & Juſtam-Gratam Honoriam *Auguſt* ex lapidibus ac numiſmatis ab Eminentiſs Noriſio (52) relatis, & ſummopere commendatis. At quorſum hæc, inquies? ut luculenter nimium ap areat, quemadmodum privatæ perſonæ, legiones, Magiſtratus, Auguſtorum ſorores, filiæque vel adhuc innuptæ *Auguſteo* titulo numiſmatum ac lapidum teſtimonio, etſi a Scriptoribus in Faſtis prætereuntur inſigniuntur, ita neque Ludovico juniori Auguſtorum filio & nepoti, necnon Italiam donato *Auguſti* dignitatem ac titulum debere negari, quod ſileant id nominus Scriptores, quum ſatis aperte munitum ſigillo documentum loquatur. Sexcenties profecto in Diplomatis a Curiæ Cancellariis, antequam Auguſtali corona redimeretur, Auguſtus appellatur Ergo hæc omnia ſpuria? Proh Deum hominumque fidem! Nonne Mediolanenſis Anonymus contra univerſam literatorum turbam ex apographo monumento, de quo Mabillonius in ferenda ſententia a ſe cautus tamen ſuſpicatus eſt, *Feudum* loco *beneficii* ſeculo IX. uſurpatum fuiſſe Orbi literario auſus eſt obtrudere? Qui, malum, ergo hic ipſe ejuſque Athleta Papienſis iuus *Auguſti* dignitatem Auguſtorum Filio & Nepoti Italia donato adverſus monumenti ſigillo firmati teſtimonium prorſus abjudicabunt? Scriptorum ſilentium monumento penſatur; atque utinam præter eum Lotharii etiam Ludovici filii annus proferretur, inde enim facile poſſemus eruere,

(51) 1. 2. pag. CCCXVI. num. 1. & 2. & tom. 1. pag. MIC. & alibi.

(52) Hiſt. Pelag. lib. 1. cap. XX. col. 203. Edit. Veroneuſ.

quonam potiſſimum anno donatus fuerit Italia Ludovicus, ac ſuos textui Pauvinii depravato numeros reſtituere.

Non hæc producimus, ut tibi conſtet nos haudquaquam in re hac animos deſpondiſſe, quamvis hic olim doctiſſimus ille perlecta tui Papienſis civis Antipologia, te coram, ſi bene memineris, nobiſque et quidem ignotis protulerit: *non crederes che il P. Aſteſati pigliaſſe più la pena per difendere i ſuoi Diplomi*: damus manum: non enim ea monumenta noſtra indigent tutela, cum ſemetipſa tueantur; non hac, inquam, ratione ducti ſcribimus, ne pervicaciter ſententiam noſtram tueri videamur, nunquam enim noſtra pro oraculis haberi volumus; ſed tibi libenter hæc amiceque mittimus, ut ſi non publice, privatim ſaltem veritas magis illuſtretur, &, ſi fors faverit, monumentis quæ in perantiqui Tabularii tui loculis fortaſſis offendes, eam totis viribus aliquando fulcias.

Neque te moveat a Curiæ Notariis Ludovicum juniorem *Imperatorem* aut *Auguſtum* appellari, quando ab Italis privatis Notariis *Rex* tantum Italiæ nuncupatur, unde alter Papienſi tuo Achilles exoritur. Cauſam diſcriminis hujus apertam, ni fallimur, tibi faciet Anaſtaſius, (53) qui tradit Italos fidelitatis jusjurandum juniori Ludovico pernegaſſe, ſatis eſſe volentes illud ſoli Lothario Patri præſtitum, Regibus quidem at unico Imperatori pariturí.

Si vero, quod haud credimus, hæc ratio non arrideat; memento a Notariis *Imperatores* aliquando cum liberet *Reges* tantum appellari, uti Mabillonius docuit, & præſto tibi ſubdimus exemplum. In Tabulario Cœnobii noſtri S. Jacobi Pontidenſis (54) inter Bergomatum fines, membrana temporibus Lotharii poſtremi hujus nominis Imperatoris conſcripta reperitur, quæ duo monumenta ab eodem

(53) Rer. Ital. Script. t. 3. pag. 228.
(54) K. fil. 2. num. 15.

dem Notario, eodemque anno non tantum, ſed menſe eodem, eademque fortaſſe die exarata exhibet; ibique Lotharius a Notario *Imperator* in una, in alia *Rex* tantum ſcribitur; Ecce: *In Chriſti nomine anno ab Incarnat. D N J C. milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, menſe Madii Indictione decima. Conſtat nos oſpinellum filium alberti de vicomercato & peregrinam jugalibus, qui profeſſi ſumus nos lege vivere Longobardorum michi q. ſ. oſpinello conſentiente prædicto alcherio genitore meo, & michi q. ſ. peregrine conſentiente ipſo oſpinello viro & mendaldo meo, & ut legis habet auctoritas una cum noticia bertrami miſſi D.* Lotharii imperatoris *a quo interrogata &c.* inde ad calcem *Ego bertramus miſſus dopni* tercii Lotharii imperatoris *ſupraſcriptam feminam interrogavi &c. Ego* vitalis notarius & cauſidicus *ſcripſi poſt traditam complevi, & dedi.* In parte vero ſuperiori membranæ ejuſdem monumentum inſcriptum ita firmatur · *Ego bertramus miſſus dopni* tercii Lotharii imperatoris *ſupraſcriptas feminas &c. Ego* vitalis notarius & cauſidicus *ſcripſi poſt &c.* Tertio vero textus. *In Chriſti nomine Anno ab Incarnat. D N J. C milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo menſe Madii indicione decima. Conſtat nos alcherium filium quondam teudaldi de vicomercato & adelaxiam jugal & ſpinamonte fil. ſupraſcripti alcherii & baldinam jugal qui profeſſi ſumus nos lege vivere &c..... & ut legis habet auctoritas una cum noticia domni bertrami miſſi domni* Lotarii regis, *a quo interrogata &c.* Verum cur ignotos producere teſtes, cum Bertinianus ipſe loco ſupracitato anno 856 juniorem Ludovicum ab anno 850 Auguſtali corona Romæ redimitum, *Italiæ Regem* tantum & infra, ut videbis modo Regem, modo Imperatorem appellet? Nullius igitur ponderis Papienſis erat argumentum, nulliuſque roboris ab illo illius Achilles.

Sed devenimus jam ad ultimam petitionis tuæ lineam, qua jure quæris num ab anno Chriſti 843. Ludovico juniori

mori nova ſit Epocha derivanda: quamobrem utique derivandam eſſe ea ipſa conſtantia qua cetera ſupra expoſuimus, tibi affirmamus. Nos ſine tunc, propterea quod indocti & imperiti ſumus, onus illud in Eruditos transferre maluimus, contenti moviſſe lapidem ad eam perſcrutandam: nihilo tamen ſecius, ſi quæ concludimus ibi relegeres, conjiceres manifeſto, num typis, ea qua decet modeſtia, Literatos alloquentes, illam annon demonſtraverimus. Hic eapropter, ne crambem recoquamus, haud gravate tibi moram gerentes aliqua tantum ſubjiciemus, unde altius vallari queat ac fortius, primum tamen repulſuri, quæ adverſum educi poſſent, veluti ſilentium ſynchronorum.

Pagius juniori Ludovico Epocham adſcribit, quam ipſe ſecundam vocat ab anno Chriſti 849 deſumtam, etſi poſteriori tantum anno 850. Romæ Corona Auguſtali, uti ſupra dictum, redimitus fuerit. Hanc Ludovici Epocham recipiunt communiter Chronologi, totque præterea tantiſque rum publicis tum privatis firmatur monumentis, ut impudentiæ plena res eſſet de ea vel minimum dubitare. Si tamen Pagium poſceres, vel ex Scriptoribus alterum, edat tibi Synchronum quempiam, qui Ludovicum tradat eo anno *Auguſtum* a Lothario conclamatum fuiſſe; nemo, quem ſciamus, vel Pagio vel alteri occurreret, qui tibi poſſet exhiberi. Tecum modo argumentis puta, quid & nos reſpondere poſſemus moroſo vitiligatori aperta Epochæ noſtræ teſtimonia Synchronis in Scriptoribus efflagitanti.

In hac re nihilominus noſtra a Scriptoribus præterita, ſi conjecturis uti liceret, ea fortaſſis inauſpicata non eſſet, quæ ex Bertiniano (55) capi poteſt ad annum 843. *Hlotarius*, inquit, *& Hludovicus* (Fratres) *intra fines Regnorum*

(55) pag. 528.

rum ſuorum ſe ſe cohibentes pacifice degunt Carolus Aquitaniam pervagatur: & quidem ex inito a regiis fratribus anno ſuperiori 842 compromiſſo de regnis eorum per arbitros dividendis. Ecquid porro vetat in illa pace atque otio a Lothario Patris & Avi Caroli exempla ſequuto Ludovicum filium una cum in Italiæ Regnum confirmatione Auguſti titulo fuiſſe redonatum? Ea etiam vel maxime de cauſa, quod a veroſimili non multum abhorreat Lotharium, dum ab hoc anno 843 novam ex peracta regnorum diviſione Franciam Epocham ſibi conſtituit, filium quoque per idem temporis inſigni aliquo munere augere voluiſſe.

Verum utut hæc ſint, allata jam alibi monumenta hanc Ludovici Epocham ſatis oſtendunt: quibus & illud Campi Diplomaticum poteris, ſi libuerit, inſuper addere, quando aliquid ex contextu melius eluceat, quod ab anno 840 numerari non poſſit, atque pro XV mendoſa Indictione IX repoſueris.

Quoties itaque Indictionis lumine Ludovici annus in monumentis enuntiatus ab hac Epocha numerandus videbitur, poteris nulla hæſitatione numerare. Hanc ſiquidem monumenta Ludovici ac Lotharii annis inſignita evincunt firmiter & aperte demonſtrant: quum enim Lotharii anni viceenaria diſtare debeant Anomalia ab annis Ludovici, profecto ſi ex Indictionis charactere Lothariani anni ab ejus Epocha VI. ſive ab anno Chriſti 823 numerandi fuerint, etiam annos Ludovici ab anno Chriſti 843 velis nolis, repetere debebis.

Apud Ughellum (56) Epiſcopi Bilongi teſtamentum extat perperam ab eodem anno 8,0 addictum, neque ab Adnotatore, quum ad rem non faciant ab eo adducti, ſuo tempori reſtitutum, hiſce conceptum terminis: *In nomine &c. imperante D. Lothario . . . . . XXVII anno Ludovici filio*

ejus

(56) t. 5. col. 720. Ep. Veronenſ.

eius Regis hic in Italia VII. ſub die X. menſ. Decembr. Ind. XIII. feliciter Imperatore. Ab Indictione XIII. Decembri menſe annus Chriſti 849 notatur, qui ab Aprili 823. ductus eſt Lotharii XXVII. At Ludovici VII unde ſupputandus? ab anno profecto 843. ante Decembrem, atque hinc Ludovicus *Imperator* a Patre deſignatus.

Ex hoc eodem documento illud inſuper advertere potes Ludovicum anno Chriſti 849. unum ſcilicet annum antequam Romæ Auguſtalem Coronam ſumeret, Regem & Imperatorem (non enim ignoras eorum temporum Notarios, aut etiam Epiſcopos quoſdam Grammatices regulis non nimium addictos, ut imperatorius titulus hic Lothario referri debeat) appellari. Ex quo velimus colligas Anonymum Mediolanenſem ſcrupuloſiorem æquo exiſtimandum eſſe, quum Auguſtalem ſive Imperatorium titulum ab Epocha Coronationis perpetuo deſumendum fore contendit. Imo & Pagium ipſum per errorem Ludovici Conſulatum ad annum 850. produxiſſe, quum primum anno ſuperiori 849 illum aſſumpſerit, quemadmodum proprio loco demonſtramus, neque hic repetimus, ut proſequamur inſtitutum.

Evidenter itaque hanc oſtendit Epocham, totamque litem dirimit Puricellus (57) tuus illo Tadonis Archiepiſcopi Mediolanenſis monumento, quod ex eo Ughellius (58) refert ac Mabillonius (59). *In nomine &c. Tado &c. anno D Hludovici XXIV menſe Februarii Indict. XI Anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſexageſimo ſexto Ind. ſupradicta*. Mabillonius ibi ſubdit: *Verum hujus privilegii ſinceræ non ſunt Chronicæ notæ, nec convenit annus ejus 866. cum Indict. XI quæ anno 63. reſpondere debet: ne quid dicam de anno Ludovici*

(57) col. 96. num. CXV. ad ann. 866.
(58) t. 4. col. 84. Mediol. Archiep.
(59) Annal. t. 3. lib. 35. num. LXXXI. pag. 89.

dovici Imp. XXIV. qui neutri, ideſt anno Incarnat., & Indictioni prædictis, facile accomodari poteſt. Quam ſtricte modeſteque loquitur Vir doctiſſimus in palmari adeo Indictionis mendo, ut Ughellus ipſe Indictione XIV. quæ anno reſponder 866. ſuppoſuerit.

Ex hoc autem documento cum alio quodam collato excogitavit Puricellus ſuam illam a nobis exploſam Curiæ Mediolanenſis Eccleſiaſticæ Indictionum triennalem a Regis anomaliam. Qui ſane ſi ad aliud Angilberti animadvertiſſet, vel novam Epocham, non levi fortaſſis argumento, de quo infra, Ludovico Pio adſtruere debuiſſet, vel quadriennalem Indictionum anomaliam ſtatuere. Incertas vero & inconſtantes Indictiones Curialibus Eccleſiaſticis Mediolanenſibus permittere, quod tamen Clariſs. Palatini Socii innuiſſe videntur, eſſet, ni fallimur, univerſam Eccleſiæ Mediolanenſis Chronologiam pervertere ac depravare.

Porro ad rem noſtram palam cuilibet faciendam Indictione non indigemus; annus ſufficit Incarnationis, qui quum neque numericis ſeu ciphris Arabicis, neque Romanis characteribus, ſed alphabeticis ex integro liter s, niſi nos fallat Puricellus, exaratus ſit, debet profecto qualibet mendi ſuſpicione prorſus carere.

Hic itaque Incarnationis annus vel juxta communem vulgatumque morem a Kalendis Januariis, vel a XXV. Martii die inchoandus eſt; atque ſi ab hoc poſtremo, aut Piſanorum uſu & more, aut Florentinorum. Sane Mediolanenſes XV. ſaltem ſeculo, quemadmodum alias ex eorum epiſtola ad Cives Brixianos data nos in Opuſculo Manelmiano (60) obſervavimus, cum Florentinis conveniebant; quod tamen de IX. ſeculo nondum aſſequi potuimus. Verum hoc refert parum; nam undequaque initium

f deſu-

(60) pag. 39. not. 12.

deſumas, Epocha hæc Ludoviciana ſemper ſibi manifeſto conſtabit.

Si enim vulgari more aut Piſanorum, qui a Januario ad XXV. Martii cum communi conſentiunt, numerare volueris, primum tibi ſupplenda erit undecimæ loco Indictio XIV. anno Chriſti 866. conveniens, & huic apprime reſpondebit annus Ludovici XXIV. ab anno Chriſti 843. deductus; quem ſi ab anno 844. juxta vulgatas Ludovici Epochas velles numerare, ad Junium uſque vigeſimus tantum ſecundus reſultaret. At vero ſi malles cum Florentinis, quorum conſuetudo & ab ipſo Benedicto Varchio jure caſtigitur, ſupputationem inire, tunc undecimæ Indictioni ſubſtituenda erit XV. anno communi 867. reſpondens, & poſtmodum ab anno Chriſti 843. ad VIII. uſque ſaltem Februarii diem, ut ex Diplomatico apud Sigonium monumento in Ludoviciana Diſſertatiuncula citato, XXIV. Ludovici annum habebis; quem tamen ſi ab anno 844. numerares, ad XXIII. tantum ad Junium uſque aſcenderet.

Hac poſtrema ſupputatione admiſſa noſtro potius calculo faveremus, non modo quod conſtet Mediolanenſes in anno inchoando cum Florentinis aliquando conveniſſe, verum etiam, quod pluris facimus, quia facile in membrana vetuſtate fortaſſis exeſa potuerit Puricellus X. dumtaxat & V. ſemiſſe mutilatum hoc eſt V., deprehendere, atque propterea pro XV. undecimam Indictionem tranſcribere.

Verum utut ſit, modo certe, ſi non olim, tum conjecturis a veri ſpecie non aberrantibus a Synchronorum deductis authoritate, tum quoque monumentorum teſtimonio inventa eſt Epocha iſthæc Ludoviciana, atque niſi fallimur, ſolide firmiterque demonſtrata. Jactet ergo nunc Papienſis tuus, dicatque, ſi amplius poteſt, de nobis: *a non l'ha trovata*.

Hic vero videmur nobis tuarum tinnitus querelarum, prop-

propterea quod mendoſam diximus Puricelli Indictionem ſentire. At nimium profecto delicatulus es. Conſule ſis typos Ughellianos primæ editionis, ſive etiam ſi lubet, ubi fortaſſe frequentius, Venetæ, atque vix paginam unam in Chronicis præſertim characteribus poteris ſine mendo percurrere. Hoc idem de typis Margarinianis dicito, dicto etiam, ut non ſemel obſervavimus, non attamen frequenter de Mabillonianis, ac de ceteris univerſim, atque interea ſphalmata & menda Typographis benigne prudenterque remitte.

Quis fidem faciet in Puricelliano Codice Indictionem XIV aut XV. non fuiſſe conſcriptam? ac Typographi vel incuria vel arbitrio in XI tantum commutatam non fuiſſe? Quod ſi forte fortuna in petantiqui Tabularii tui pluteis hujus præcipue poſtremi Puricelliani monumenti authenticum optimæ notæ exemplar, aut fortaſſis autographum ipſum extet adhuc, idemque præferat Indictionis mendum, non inferas propterea, uti Puricellus, Anomalias Indictionum, ſed ignorantiæ oſcitantiæque Notariorum vel Amanuenſium, errorem, ſi ſapies, adjudicabis, quandoquidem & in autographis iis de cauſis, Mabillonio teſte, menda frequenter irrepſere.

Vis hæc probemus exemplis? In Tabulario noſtro San-Sixtino (61) *præſtaria* quædam extat Rodulphi Comitis, & Abbatis S. Mauritii Agaunenſis in favorem Angilbergæ Auguſtæ junioris Ludovici conjugis; quam autographam eſſe ſubſcriptiones & ſigna, unius a ceteris diverſa, viginti circiter Monachorum aperte probant. Hæc ejus eſt Notarii *Data die Martis VII. Kal. Aprilis anno ſiquidem Incarnationis Domini DCCCLXXVII. regnantibus domnis regibus noſtris Karolomanno, Kludovico, & Karolo in Indict. ſecunda feliciter.*

f 2 In

(61) G. fil. 2. num. 5.

In Incarnationis anno mendum ſane non cubat, cujus cum litera Dominicalis ſit F, XXVII Martii dies optime in diem *Martis* incurrit. Ubi ergo mendum? in Indictione, quæ X eſt, minime vero *ſecunda*, etſi hæc non numericis ſed alphabeticis exarata characteribus legatur. Ecquid igitur? an forte in Valeſia, ubi hoc, ni fallimur, Cœnobium; an vero in Regum iſtorum Regnis diverſa a communi Indictio? (neque enim hic de anni ambigendum initio, num ab Januario, Martio vel Paſchate ducendum ſit, quum hujus Indictionis a communi diverſitas non unitate aut binario deficiat, vel ſuperet, verum octonario) nihil minus: communis quippe Indictio in Ludovici *Pii* filii & horum Principum Patris regno uſitabatur: quod latiſſime probat Anſcharius Monachus ita penes Mabillonium (62) ſcribens: *Anno Incarnationis Domini DCCCLX. regni vero D. noſtri Sereniſſimi Principis Hludovici XXVIII.* (qui numerandus eſt ab eo Chriſti 833. num & Ludovico huic plures a Mabillonio aſſignantur Epochæ, quibus & nos aliam eidem incompertam ſuperaddimus) *Indict. VIII. in Eccleſia Bremenſi cœperunt divinitus agi miracula &c.* Anno autem 860. Indictionem VIII. nos quoque numeramus.

Sed neque in Karolimanni monumentis Indictiones a noſtris diſſident. Eodem enim in Tabulario San-Sixtino (63) monumentum cum ſigillo hiſce characteribus inſignitum reperitur. *Dat. II Non. Auguſti anno III. regni D. Karolomanni Regis in Bavaria, & II. in Italia, Ind. XII.* Quod & Campus (64) retulit, æra Chriſti, qua caret autographum, de ſuo liberaliter addita. Porro Indictione XII. annum

(62) in ſuppl. R. Dipl. cap. IX. num. VII. pag. 42. & Annal. t. 3. lib. 35. num. LXXIX. pag. 63.
(63) Sx. fil. 1. num. 24.
(64) ſup. pag. 464.

Digitized by Google

annum Chriſti 879, in quem anni Carolimanni expreſſi in monumento collineant, nemo eſt qui neſciat indicari. Inferamus itaque non poſſe nos ex eo unico monumento licet autographo (loqueremur aliter, ſi hujuſmodi anomaliam plura ſe invicem conſequentia monumenta teſtarentur) Indictionum diverſitatem argumentari, ſed Notarii oſcitantiæ, aut ignorantiæ mendum fore adſcribendum. Huic adde & autographum in ſupralaudato Pontidenſi Tabulario (65) a quodam Silveſtro Notario conſcriptum, ubi ſeptima Indictio ſextæ vice conſpicitur: *In Chriſti nomine Anno ab Incarnat. D. N. J. C. milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo, menſe Junii Indic. ſeptima. Conſtat me &c. Ego Silveſter notarius hanc cartam venditionis &c.* Oſcitanter nimium etiam Lanfrancus quidam, non tantum Notarius ſed & Judex Regius, aliud ibidem (66) extans exaravit documentum annorum repetens centuriam: *Anno ab Incar. D. N. J. C. milleſimo centeſimo* centeſimo *trigeſimo, menſe Januarii indic. octava. Dum veniſſet petrus infantulus &c. Ego Lanfrancus judex ac miſſus D. ſecundi Loterii regis ſcripſi &c.* Contra Vitalis (67) miſſus Imperialis annorum centuriam calamo donavit: *In Chriſti nomine anno ab Incar. D. N. J. C. milleſimo ſeptuageſimo ſexto menſe novembri indic. nona. Oſpitali &c. Ego vitalis notarius ac miſſus domni Frederici imperatoris ſcripſi &c. Act. in ſuprascripto loco Pontid.* Fridericus enim non undecimo, ſed duodecimo exeunte ſeculo imperavit; & indictio nona, quæ a Januario inchoata (non ſemel in finibus Bergomatum (68) Indictiones hoc

 ſeculo

(65) K. ſil. 2. num. 19. (66) K. ſil. 2. num. 12.
(67) F. ſil. 1. num. 11.
(68) in Tabul. Fontid. F. ſil. 1. num. 10. *Una die menſis* Decembris *In civitate pergami Preſentia bonorum hominum &c. factum eſt hoc anno Domin. incarnat. milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo.* Indict. quintadecima. *Ego Petrus D. Frederici imperatoris notarius &c.*

25

ſeculo a Januario ductas, obſervavimus) annum non 1076. ſed 1176. deſignat. Si tot mendoſa, vel ignorantia vel incuria Notariorum, autographa nobis occurrere, mirum fortaſſis erit ut unum offendas? Hoc idem igitur de Puricelliano ceteriſque id genus monumentis eſto judicium.

Ceterum in monumento illo Angelperti apud ſupralaudatum Puricellum, (69) annum Incarnationis optamus; inde enim novum aliquod Chronologicum lumen poſſet fortaſſis apparere: ſic quippe in eo legimus: *Anno Dominorum noſtrorum confirmantium hoc Ludovici, & Klotharii Imperatorum decimo octavo, & decimo VI Kal Martii Indict. XIII.* nam ſi Kalendæ cum numero VI. copulari debeant, ut XXIV Februarii diem reddant, annus Lotharii X. cum XVIII Patris conjungendus oſtendit aperte annum 831, cujus eſt Indictio VIIII non XIII, ſive ab anno 813, ſive ab 814. annos Ludovici deducas. Quapropter non amplius triennalis tantum, ſed etiam quadriennalis anomalia foret deducenda; ſicque aliquando triennali, aliquando quadriennali & biennali etiam Indictionum Anomalia uſa cenſeri deberet Curia Mediolanenſis Eccleſiaſtica, quod tamen Chronologica in re duriuſculum eſſe videtur.

Nos enim vero, ut loquamur ingenue, Mediolanenſem Eccleſiaſticam Chronologiam non callemus, neque præſto nobis eſt Puricellus, quo documenti contextum perluſtrare modo valeamus; ex eo tamen contextu ſi abſurdi nihil reſultaret, legendum potius *Kal. Martii* cenſeremus, & anno Ludovici XVIII. ut ibidem, Lotharii vero XVI. Indictione eadem XIII. Hac enim Chriſti annus 835. indicatur, qui eſt Lotharii XVI. ab anno 820. productus, & Epocha illa Lothariana non modo ante XXX. ſaltem Maji diem, uti Pagius & Mabillonius tradidere, ſed a Martii Kalendis, vel ante fores inchoanda. His enim omni-

(69) col. 47.

omnibus ita compoſitis Ludovici Patris annus XVIII. ab anno 817. poſt Bernardi obitum ductus apprime reſpondere. Sane a Bernardi obitu Italiæ Notarios novam Ludovico Pio, uti novo Italiæ Regi conſtruxiſſe, haud immerito poſſumus autumare. Utinam quidem unum vel alterum optimæ notæ monumentum amphibologiis in numeris vacans, & chronicis hujuſmodi characteribus inſignita nobis ob oculos verſarentur; quod enim nunc dicimus hæſitantes, idipſum pectore obſirmato aſſevetare vellemus.

At, ne tuam diutius operam abutamur, contrahamus jam tandem vela, dicamuſque paucis te ab omnibus, quæ mox ſequentur, Epochis junioris Ludovici monumenta deducere tuto poſſe, atque data occaſione debere. Primo ab anno ad hoc ævi incerto Italicæ donationis ab Avo Ludovico obtentæ. Deinde ab ejuſdem Avi obitu, XX nempe Junii die, anno 840. tertio ab VIII ſaltem Februarii die 843, omnes iis Pagii anteriores, uti ſupra demonſtravimus. IV cum Pagio a XV Junii die 844. Quinto cum eodem inter VI Februarii ac III Octobris 849 Sexto pariter cum Pagio ab anno 850. ſed a V vel VIII Octobris die incboanda eſt, quemadmodum latiſſime contra Pagium evicimus, eam a II. tantum Decembris die repetentem. Septimo cum ipſo eodem a Patris obitu, ſeu ab ejus in Prumienſe Monaſterium receſſu, ab anno nempe 855. menſe Septembri. Octavo ab anno 856. ex congreſſu ad Urbam (eſt oppidum Burgundiæ, modo *Franca Contea*) Ludovicum inter Lotharium & Carolum fratres poſt Lotharii Patris obitum inito, ut ad annum eumdem docet Bertinianus: *Ludovicus Imperator Italiæ, & Lotharius frater ejus Rex Franciæ, cum Karolo puero germano ſuo apud Urbam conveniunt. Ubi adeo pro regni paterni portionibus diſſident, ut pene armis inter ſe decernant.* Nono a Caroli fratris

tris obitu, cujus in partem heres fuit teſte eodem (70): *Lotharius fratri ſuo Ludovico Italorum Regi quamdam Regni ſui portionem attribuit &c.* Obiit Carolus anno 859 at dies & menſis adhuc nobis incomperti. Decimo ab anno 866. Junio menſe a Capua expugnata; ut in monumento (71) *Dat. III Id. Junii Anno Chriſto propitio XVII. Imperii D. Hludovici piiſſimi Auguſti, Indict. XIV. & poſtquam cepit Capuam anno I. Act. Capua Civitate &c.* Undecimo a Fratris Lotharii obitu, anno ſcilicet 869 VIII. Id. Auguſti; cujus jure Imperator heres extitit, quamvis a Carolo ejus Patruo Lotharii regnum invaſum fuerit ac uſurpatum: vel certe a poſſeſſione partis Regni Franciæ, quam Ludovicus Patruus clam ei reſtituit ex Bertiniano: (72) *ipſe* (Ludovicus Rex) *partem Regni Lotharii, quam contra Carolum accepit* ...... *clam* (Ludovico Imperatori) *reddit*. Poſtremo tandem ab ejus in Regem Franciæ coronatione a Pontifice Hadriano Romæ celebrata. *Ludovicus autem*, inquit ibidem Bertinianus, *Imperator vigilia Pentecoſten Romam venit, & in craſtinum coronatur ab Hadriano Papa, poſt celebrata Miſſarum ſolemnia, una cum eo ad Lateranenſe Palatium cum pompa equitando coronatus perrexit*. Atque ex tibi quatuor Epochis, quas Ludovico Juniori parce admodum aſſignaverat Pagius, alias octo bono noſtro fato ſuperadditas, quibus ipſius monumenta, quæ publicæ deinceps uſuræ committentur, queant tutiſſime conſignari.

Hæc tumultuarie ex iis, quæ olim ſcripſimus, derivata in te vaſtum eruditionis oceanum nos humilis rivulus animo perquam ſane libenti profundimus, id rogantes enixe, ut pio tua in nos humanitate liberrime velis errorum noſtrorum maculas detergere maximas, inde grates a nobis

(70) ad ann. 859. pag. 535
(71) ap. Rer. Ital. Script. t. 2. p. 2. Chron. Vulturn. lib. 2. pag. 395.
(72) pag. 558.

nobis reportaturus. Tuis interim ſeverioribus Muſis ne vel tantillum parcas, obteſtamur, ut quod olim Scriptorum inopia cum carie tineiſque in Tabulariorum pluteis ad hæc noſtra plena felicitatis tempora colluctantium, Italis expedire difficillimum omnino fuiſſet; Tu modo eorum copia abundans, ingenioque florens hiſce in rebus plurimum exercitato (atque oh utinam & nos magis cultum, & juniorem tricennario calamum haberemus). Tu, inquam, modo abſolvere valeas, perficereque. Ac quemadmodum Gallus ille eruditiſſimus Antonius Pagius in Baronio Italo Eminentiſs Annalium Parente inluſtrando nobis Italis ingentem gloriam præripuit; ita te quoque in redimendo Raynaldo Annalium Continuatore Clariſſimo Synchronorum ope Scriptorum, monumentorumque ſuum Italis decus, propitio numine, reſtituturum fore ſperare poſſimus.

Inter hæc tamen id præterea curato, ut nos, quod facturum confidimus, amare pergas, & velis pro imperio indulria noſtra, ſi quæ in nobis eſt, impoſterum uti. Vale

Mediolani ex Ædibus S Simpliciani Prid. Id. Januarii MDCCXXXIII.

9946210

Digitized by Google

Google